

§. 2. Glof. 3.

scut. 101. 9. & 9. de marche.

S V M M A R I V M.

Scutus quare significetur pyramidato hieroglyphico inuerso, num. 1.

Scutus unde dicatur, & quomodo latine, nu. 2. & 8. Est sexagesima quinta pars vnius marchae, num. 11. 67. & seqq.

Scutus, & Nummus aureus } sunt idem, num. 8.

Scutus aureus quanti valeat in Hispanijs, num. 73. Ex quot marauidinis constet, num. 76.

Quanti valeat Romae, num. 74. & 77. Genuae, num. 75.

Scuti quinque stamparum qui sint, quive ponderis veteris, num. 75.

Scuti diuersorum locorum, num. 78.

Scutus marcharum est aureus, num. 12. Est fictus, num. 67. Eius pretium quomodo sit incertum, & quomodo certum, nu. 69. Ex quot solidis aureis conficiatur in ratione cambiorum, sub num. 16. In qua moneta soluatur in ratione cambiorum, num. 26. & 79.

Marcha quod nomen sit, quidve significet, num. 28. Quota pars sit assis, num. 29. Eius origo, & usus, num. 30. Marcha argenti, num. 31.

Differentia inter marchas diuersorum Regnorum, num. 45. & seqq.

Marchum aureum ex quot scutis constituatur, num. 8.

Solidus unde dicatur, num. 3. Quibus alijs vocetur nominibus, num. 10. Semper intelligitur aureus, num. 9. & 10. Est sexta pars vnciae, num. 14. Quot solidi conficiant libram, num. 15. Expendibiles qui sint, & eorum valor, num. 18. & 54.

Solidorum moneta est antiqua, num. 19. Quot solidi aurei requirantur pro vno scuto aureo in ratione cambiorum, num. 16.

Solidus, & Nummus aureus } sunt idem, sub num. 13.

Denarij nomen unde deriuetur, num. 5. Quid sit, & quot denarij requirantur pro vno scuto, num. 20. & 25. Quot in Hispanijs, num. 22. Quot Genuae in ratione cambiorum, num. 24.

Florenus, & Ducatus } quare ita vocentur, remissive, num. 6.

Ducati, & Floreni aurei } idem sunt, quod solidi, num. 10.

Ducatus est drachmalis, &c. num. 41.

As quanti valuerit, num. 21. & seqq.

Regalis Hispanus quanti valeat, num. 22.

Marauedini valor, sub num. 22.

Obulus quid sit, num. 37.

Moneta unde dicatur, num. 7. Eius usus quando inceperit, num. 81. De eius varijs speciebus, num. 80. Moneta ficta, & imaginaria, num. 67. & seqq.

Monetam an Princeps teneatur in conscientia iudi facere de materia perfecta, & iusti ponderis, num. 82. & seqq. in quibus late declaratur. Quare Principis effigiem habere debeat, num. 89.

Moneta pretium imponi debet a Principe, nu. 90. & seqq. in quibus late distinguitur, & declaratur. Pretium a Principe impositum, an possit subditorum usu variari, num. 95. & seqq. in quibus late declaratur.

Valor monetae impositus a lege, quando attendatur, etiam si ab usu sit mutatus, num. 48. & late hac materia discutitur sub num. 111. & seqq. vers. infero.

Monetam si quis falsam fabricauerit, vel expenderit, vel receperit fabricantes, quae poena puniatur, & ad quid teneatur, num. 127. & seqq.

Nomina debent conuenire rebus, num. 4.

Numismatum varia species, num. 27.

Libra, & eius partes, num. 32.

Vncia ex quot drachmis, Drachma ex quot scrupulis, } constet, num. 32. & seqq.

Scrupulus ex quot siliquis, Siliqua ex quot granis } sunt partes librae, num. 33.

Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semis, Septunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx, } sunt partes librae, num. 33.

Libra auri quot scutos aureos conficiat, num. 38. & seqq. Et quot scutos conficiat libra argenti, num. 51. Et libra aris, num. 53. & seqq.

Vncia auri quot scutos aureos conficiat, sub num. 38. & 40.

Insinuatio donationis hodie requiritur, si excedat scutos aureos 668. num. 47.

Aurum obriziatum est vigintiquatuor caracterum, & ex isto conficitur libra auri, num. 50.

*Auri bonitas cognoscitur ex numero caracto-  
rum, & quilatum, num. 57. & seqq.*  
*Argenti bonitas cognoscitur ex numero denario-  
rum, idest liga, &c. num. 61. & seqq.*  
*Aurum, & quam habeant differentiam in va-  
Argenti } lore, num. 52.*  
*Auri, & mixtura cognoscitur ex usu lydy,  
Argenti } num. 57. & 60.*  
*Alchimia an detur, num. 66. Data, aurum, seu  
argentum per eam confectum, si sit verum,  
estimatur sicut illud, quod est sine alchimia,  
num. 65.*  
*Cambia qua moneta contrabantur, num. 79.*  
*Campser cambij minuti quid possit accipere pro  
cambio, num. 97. & seqq. 123. & seqq.*  
*Stipendium militis quantum esset, num. 23.*  
*Principes dicuntur publici status tutores, nu. 103.*  
*Pretium rerum venalium imponitur à Principe,  
num. 104.*  
*Pretium scuti marcharum debet imponi à Prin-  
cipe, praesertim ecclesiastico, nu. 107. & seqq.*  
*Pretium monetae aurea variatur à communi usu  
propter iustam causam, num. 110. & seqq.*  
*Valor, impositus à Principe, si sit alteratus ab  
usu, qualis attendatur in solutione, sub num.  
111. & seqq. vers. infero.*  
*Solutio an fieri possit in moneta aequivalenti illi,  
quam debitor teneretur soluere, n. 112. & seqq.*



**Q**VAERO primo qua-  
re in scripturis, & ra-  
tiocinijs ad signifi-  
candum scutum num-  
morum utamur py-  
ramidato hierogli-  
phyco inuerso?

Respondeo, quia  
eiusmodi hieroglyphicum continet figuram  
parmæ, seu brevis scuti, quo pedites uteban-  
tur; erat enim iste scutus quasi triangularis,  
vt videmus adhuc in multis familiarum an-  
tiquis insignibus, licet hodie, vt plurimum,  
fiat ouatus, in hocq; scuto familiae insignia  
imprimuntur; quare cum sine litterarum  
characteribus breuius scutum nummorum  
exprimere volumus, congruè utimur figura  
hieroglyphica, quæ scutum significat.

**Q**VAERO secundo qua ratione nos  
Itali hanc numismatis speciem vocemus scu-  
tum, & quomodo dicatur latinè, & quanti  
valeat?

Respondeo, vocari scutum, quia sicut  
scutum, seu clypeus militaris tegit, defen-  
ditq; militem à vulneribus; ita scutus num-

morum protegit, & defendit à necessitati-  
bus humanis, cum nummus sit fideiussor fu-  
turæ necessitatis, vt ex Arist. refert Hier. de  
Luc. tract. de camb. in princ. num. 7. tom. 6.  
par. 1. fol. 408. † etenim sicut solidus, de  
quo dicemus infra num. 13. & seqq. fuit sic  
vocatus, eò, quòd erat integer, & nil illi  
deerat, Lancell. Gall. tract. de stat. in verbo,  
vltra. q. 5. num. 10. tom. 2. fol. 330. & Couar.  
tract. de veter. collat. numism. cap. 3. num. 4.  
vers. solidus autem. tom. 1. fol. 677. & in alio  
proposito Rot. diuers. decis. 132. licet agen-  
tes. num. 24. par. 2. seu ob causas, de quibus  
Eguin. Baron. tractat. de diuid. & indiuid.  
oblig. lib. 1. num. 3. tom. 6. par. 2. fol. 366. sic  
potuit vocari scutus, eò, quòd, tanquam scu-  
tum militare, tegat, & defendat: † omnia  
enim nomina debent, quantum fieri potest,  
conuenire rebus, S. est & aliud. Instit. de  
donat. † hinc denarij nomen à numero de-  
cem, vt scutus sum infra sub num. 20.  
† hinc est etiam, quòd florenus, & ducatus  
habent proprias rationes, & causas, cur ita  
vocentur, de quibus Sarnen. de regul. can-  
cell. in reg. de val. exprim. &c. q. 9. vers. con-  
sequenter. & vers. sequitur in text. † hincq;  
& monetam sic vocari, eò, quòd signi im-  
pressione, & auctoris, & valoris nos moneat,  
scribit Io. Ferrar. in vsib. feud. lib. 5. cap. 7. in-  
ter regalia, &c. vers. monetam dicimus. tom.  
10. par. 2. fol. 116. col. 1. in fine, seu mone-  
tam dicimus, eò quòd moneat, in eo metallo  
signato nullam esse fraudem, Tefs. lun. tra-  
ctat. de augm. & variat. mon. par. 1. sub nu. 8.  
& ideo scutatam vocare possemus hominem  
pecuniosum.

**Q**VAERO Iam scutum latinè vocabimus nummum  
aureum; nam, omisis multis, quæ de varijs  
numismatum speciebus, tam argenteorum,  
quàm aureorum, & aeneorum, scribit Co-  
uar. d. tractat. de veter. collat. numism. cum  
nostro instituto aut nihil, aut parum infer-  
uiant, &, omisis ambagibus, id evidenti  
ratione ostendo; nam nummi aurei 65. &  
tertia alterius nummi pars in Regnis Hispa-  
niarum, seu nummi aurei 64. constituunt  
vnum marchum, vt refert Couar. d. cap. 3.  
num. 2. fol. 676. & scuti 65. aurei constituunt  
similiter vnum marchum, vt scribunt Hier.  
de Luc. tractat. de camb. in verbo, marcha.  
num. 4. tom. 6. par. 1. fol. 408. & Alex. Rau-  
den. in exposit. banch. S. Ambr. num. 52. &  
sciunt omnes campsores, & mercatores:  
ergo nummus aureus, & scutus idem sunt,  
& quòd

9 † & quòd appellatione solidorum lex intel-  
ligat de aureis, notat Henr. Bott. tract. de  
synod. episc. par. 3. num. 81. tom. 13. par. 2.  
10 fol. 386. † & quòd aureum, seu solidum nos  
hodie vocemus ducatum, scribit Brun. tract.  
de monet. augm. in princ. sub nu. 8. tom. 12.  
fol. 207. & quòd ius ducatos aureos, seu flo-  
renos aureos, appellet solidos, scribit ante  
prædictam partem in secunda præsupposit.  
sub num. 18. fol. 210. & quòd solidus sit au-  
reus, scribit Feder. Schen. tract. de testib. nu.  
62. tom. 4. fol. 78. & benè Lancell. Gall. tra-  
ctat. de stat. in verbo, solidos. in princ. num.  
2. & seqq. tom. 2. fol. 330. quem videas, Ant.  
de Canar. tract. de insinuat. versus finem, q.  
31. num. 60. tom. 6. par. 2. fol. 280. Thom.  
Act. tractat. de lud. scacch. q. 11. princip.  
num. 45. tom. 7. fol. 190. & Caccialup. tract.  
de lud. q. 6. sub num. 28. d. tom. 7. fol. 157.

11 Scutus ergo, de quo loquimur, vt appa-  
ret ex prædictis, est sexagesima quinta pars  
vnius marchæ, seu bessis aureæ, vt declaran-  
do, quid sit marcha, & quid sit scutus mar-  
charum, & scutus aureus, explicavi infra  
num. 67. & seqq.

12 QVAERO tertio, quid significant illi  
duo numeri 9. & 9. positi in litteris cambio-  
rum?  
Respondeo, quòd primus numerus signi-  
ficat nouem solidos aureos, & secundus si-  
gnificat nouem denarios aureos; & sunt au-  
rei, quia sicut valor scuti marcharū æstima-  
tur scuto aureo, per ea, quæ dixi infra num.  
67. ita etiam hi sol. 9. & den. 9. cum sint par-  
tes ipsius scuti marcharum, debent esse au-  
rei; sed qua ratione sint nouem, cum in ra-  
tione solidorum 68. quibus conficitur scutus  
aureus Genuensis ad emēdum scutum mar-  
charum supersint solidi 33. vt dixi §. præced.  
q. 5. num. 57. vide infra §. 5. gl. 2.

13 QVAERO quarto successiuè, quot solidi  
aurei faciant vnum scutum marcharum, &  
quot denarij solidum aureum?  
Respondeo declarando, & distinguendo.  
Aut loquimur de solido antiquo, quo vte-  
bantur Romani, & tunc dico, quæstionem  
reddi ferè ineptam, quia & si inter Doctores  
sit controuersia, an solidus, & aureus fue-  
rint eiusdem ponderis, & valoris, vt recen-  
set Couar. tract. de veter. collat. numism. cap.  
3. nu. 3. vers. olim. tom. 1. fol. 676. cuius con-  
trouersia argumenta pro vtraque parte ad-  
ducit eod. cap. 3. §. 1. num. 1. & seqq. & po-  
stea §. 2. num. 1. & seqq. fol. 677. & seqq. con-  
cludit vtramque partem, habita ratione  
temporum, posse defendi, quæ argumenta

referre omitto, quia ( sit doctissimi Couar.  
pace dictum ) rem quantò maiori diligentia  
voluit extricare, inextricabiliorem reddidit.  
se videtur, prout aduertit etiam Ioan. Arz.  
tract. de nobilit. hispan. &c. par. 2. princip.  
cap. 4. sub num. 13. vers. tandem difficulta-  
tem. tom. 16. fol. 221. col. 1. nos tamen,  
omissis, quantum possumus, superfluis con-  
trouersijs, quæ nostris temporibus non infer-  
uiunt, & sequentes opiniones, vsu receptas,  
dicimus, nummum aureum, & solidum au-  
reum non differre, testibus his, quos secutus  
sum supra num. 9. & 10. & scribit Rol. à Vall.  
qui alios citat, tract. de dot. q. 53. nu. 7. tom.  
9. fol. 372. & hanc esse communem opinio-  
nem arbitratur, & sequitur Io. Arz. d. cap. 4.  
sub num. 13. vers. illud. & vers. seqq. tom. 16.  
fol. 221. col. 1. saltem inspectis posterioribus  
temporibus, iuxta conciliationem, quam  
adhibet Couar. supra citatus, hancq; opi-  
nionem hoc vnico probo argumento, † quia  
solidus aureus est sexta pars vnciæ, vt sine  
controuersia testatur Couar. d. cap. 3. sub  
num. 3. vers. primum. † & sic vna libra, quæ  
habet 12. vncias, facit 72. solidos aureos,  
quia quælibet vncia reddit sex solidos au-  
reos, ergo 12. vnciæ, facto calculo, faciunt  
72. solidos, & hoc idem dicimus de num-  
mo aureo, seu scuto, qui idem est, vt di-  
xi supra num. 8. in fine; nam quælibet  
vncia continet sex aureos, vt ostendi, &  
secutus sum in meo tract. de iudic. caus. &c.  
lib. 1. cap. 99. sub num. 2. ibi, & scias quod.  
& ideo tam 72. solidi, quàm 72. nummi au-  
rei faciunt vnam libram Romanam 12. vn-  
ciarum, vt, promiscuè loquendo, scribunt  
Felyn. in cap. 16. conquerente. sub num. 3. &  
ibi Addit. de offic. iudic. ordin. & Couar. tra-  
ctat. de veter. collat. numism. cap. 4. num. 2.  
tom. 1. fol. 687. &, loquendo de aureis, secu-  
tus sum d. cap. 99. sub num. 2. &, quòd soli-  
dus, & aureus sint idem, scribit Brun. tract.  
de monet. augm. in princ. sub num. 8. tom.  
12. fol. 207.

16 Aut loquimur de solido aureo, quo ho-  
die vtimur pro calculo, & diuisione scuti  
marcharum; & tunc dico, hunc solidum,  
non esse idem, quod aureus, seu nummus au-  
reus, & scutus; sed dico, hunc solidum non  
reperiri, nisi imaginariè, & esse vigesimam  
partem vnius scuti aurei, quia vnus scutus  
aureus in ratione calculi est idem, quod li-  
bra auri viginti solidorum, qua negotiato-  
res vtuntur in calculis, vt dixi etiam infra  
n. 25. Vnde satisfaciendo quæsito, dico, quòd  
solidi aurei 20. faciunt vnum scutū marcha-

17 rum, seu vnam libram auri, & denarij duodecim faciunt vnum solidum aureum; † sed, ne confundamur ex his, quæ scripsimus §. præcedenti, quæst. 5. num. 55. & 57. & alijs in locis, vbi diximus, scutum aureum æstimari in solidis 68. aureis, sicque in tribus libris aureis, & sol. 8. etiam aureis, admonendi sumus, quòd illa valutatio, seu demensio scuti aurei in sol. 68. fit à negotiatoribus in Ciuitate Genuæ, vbi fingunt vnum scutum solidorum 68. & cum isto emunt, & vendunt scutum fictum marcharum, cui imponunt pretium solidorum 66. paulò plus, vel paulò minus, ita vt nunquam ascendat ad sol. 68. at valutatio, seu demensio scuti in sol. 20. seu in libra auri est valutatio, & demensio communis omnibus, vt latius declarauimus infra §. 5. gl. 2. vbi videas.

18 Aut loquimur de solidis non aureis, quibus vtimur, emendo, & vendendo quasuis merces, & victualia in Italia, & dico, quòd Genuæ sol. 90. faciunt vnum scutum quinque stamparum, vt habes infra num. 75. & hi solidi non habent forsan vniformem æstimationem; nam Bononiæ, Ferrariæ, & Mutinæ, in quibus libra constat etiam ex 20. solidis bononenorum, quilibet bononensis valet Ferrariæ sex quatrenos, Bertaz. de claus. claus. 30. gl. 5. sub num. 1. & Genuæ, vbi etiam libra conficitur ex 20. solidis, vt dixi inf. n. 54. solidus vsualis valet 12. denarios, vt refert, & sequitur Lancell. Gall. tract. de stariat. sub num. 7. & 9. & nu. 1. tom. 2. fol. 330. vbi vna cum Io. Andr. quem citat, irridet iudicem Montispolitiani, qui donationem, non insinuatam, declarauerat nullam in ea quantitate, quæ excedebat lib. 25. credens, quòd de istis solidis loqueretur l. si quis, in fine. C. de donat. de qua vide quæ scripsi infra num. 47.

19 Illud obiter admoneo, quòd solidorum moneta fuit antiqua, quia secundum Gig. tractat. de crim. læs. maiest. rub. qualiter & à quib. crim. læs. maiest. committ. q. 62. num. 7. tom. 11. par. 1. fol. 47. de ea fit mentio in Genes. 23. num. 16. in fine, sed malè Gig. refert verba Genesis, quia non de solidis, sed de siclis loquitur, *quadraginta siclos argenti probata moneta publica*. hicq; siclus habet viginti obolos, cap. 23. iudices. 1. q. 1. & notat Gl. in cap. 87. quis aliquando. in verbo, nisi siclo. de poenit. dist. 1. quæ ponit versus, quos retuli inf. sub nu. 37. quam Gl. & versus impugnat Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 2. num. 10. fol. 675. tom. 1.

20 QVAERO quinto, quid sit denarius, &

quot denarij faciant vnum scutum aureum? Respondeo distinguendo.

Aut loquimur more antiquo Romano de denario, qui fuit semper argenteus; & tunc dico, quòd denarius valebat decem asses, vt scribit Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 1. num. 3. vers. octauo ex hac. & cap. 2. sub num. 7. versus finem, vers. latinus. tom. 1. fol. 673. Petr. Bellin. tract. de re milit. tit. 2. num. 1. & 6. tom. 16. fol. 353. & alij passim, & videtur satis probari ethymologia, seu potius allusione, & deriuatione; dicitur enim denarius, quia valebat decem asses, vt ex Georg. Agric. refert, & sequitur Bellin. d. tit. 2. num. 7. seu decem nummos vsuales, vt ex Hier. super Matth. 22. refert Io. Hug. tract. de offic. quat. prælat. tit. de quarto prælato. par. 4. rubr. tributi imperialis, &c. num. 2. in fine. tom. 13. par. 2. fol. 296.

21 Erat autem as numisma, valens quatuor quadrantes, vt scribit Couar. d. cap. 1. num. 3. & sic quadrans est quarta pars assis, vt scribit Io. Garf. tract. de expens. & meliorat. cap. 21. sub num. 12. vers. vides. tom. 17. fol. 329. & sentiunt communiter omnes infra citati, dum scribunt, quòd denarius valebat 40. quadrantes, seu vnum regalem, seu decem asses, vel vnum iulium, & quòd decem denarij faciunt vnum coronatum, seu scutum; nam, istis singulis calculatis, inuenies, quòd as erat, vt loquimur Romæ, *vn baiocco*, qui constabat ex quatuor quadrantibus, seu nummis æreis, licet hodie constet ex quinque quadrantibus, & sic denarius argenteus hodie valet quinquaginta quadrantes; † quare Couar. d. cap. 2. sub num. 7. vers. primum omnium. fol. 672. scribit, in Hispanijs denarium Romanum, attento pondere, & valore, esse ferè similem nummo argenteo Castellano, qui dicitur regalis, quia denarius apud Romanos valebat quadraginta quadrantes, idest, decem asses, & apud Hispanos æstimatur 34. marauedinis, & paulò pluris, & sic creus marauedinus in Hispanijs, inquit, æstimatur pluris, quàm quadrans Romæ; sed Io. Garf. vbi sup. sub nu. 13. vers. quarta marauedis. re forsan non ita diligenter examinata, vt per Couar. scribit simpliciter, denarium confici ex quadraginta marauedinis; videant Hispani: † & Bellin. d. tit. 2. sub nu. 1. ex Tacito refert, quòd stipendium militis Romani erant decem asses diurni, eandemq; summam, inquit ipse, accipiunt in præsentiarum pedites Germani, tres videlicet coronatos singulis mensibus, cum, vt refert, & sequitur, decem denarij valeant vno coronato,

coronato, quem, inquit, nos scutum appellamus, & postea num. 6. ex Leonar. Port. Iuriscons. Vicent. refert, decem asses esse vnum denarium, & triginta denarios esse triginta iulios, seu triginta sex marcellos.

Ex quibus liquidò constat, quòd quatuor quadrantes Romani, seu maruedini Hispani faciunt vnum as, qui Romæ vocatur vulgariter, *baiocco*, & decem asses faciunt quadraginta, & hodie quinquaginta quadrantes, qui faciunt vnum regalem in Hispanijs, & Romæ vnum iulium, qui dicebatur denarius.

Vidimus quid sit, seu quanti valeret denarius; nunc, satisfaciendo secundæ parti huius quæsitæ, dico, quòd valor scuti aurei est variabilis, & semper æstimatur denarijs argenteis, quare aliquando valet duodecim iulij Romæ, & duodecim regalibus in Hispanijs, aliquando vndecim, & quandoque pluri, & quandoque minoris, semper tamen ultra decem iulios, seu regales: nam decem iulij, seu regales faciunt vnum scutum argenteum Romanum, seu coronatum in Germania, & vna pars auri semper valet ultra decem partes argenti, iuxta ea, quæ scripsi infra num. 52.

24 Aut loquimur de denario æreo minuto, quem habet hodie in vsu aliquæ Prouinciæ; & concludo, denarium esse duodecimam partem vnius solidi ærei, qui similiter est in vsu expendibili apud easdem Prouincias, nam duodecim denarij faciunt vnum solidum, vt refert, & sequitur Lancel. Gal. tract. de statut. in verbo, solidos. in princ. num. 9. tom. 2. fol. 330. & ita seruari in communi testatur Ant. de Canar. tract. de insinuat. versus finem, q. 31. sub num. 60. tom. 6. par. 2. fol. 280. & sic in Gallia testatur Rebuff. de litter. obligat. art. 5. gl. 1. nu. 3. versus finem, tom. 1. fol. 125. & hæc conclusio est nota etiam cuilibet ignaro; vbi tamè solidus constaret ex sex denarijs, vt in Rep. Lucensi, tunc illic est sexta pars solidi; huiusque denarij ærei valor introductus videtur à similitudine denarij argentei, quia verisimile est, quòd duodecim denarij argentei facerent solidum aureum, & ita etiam duodecim denarij ærei faciant vnum solidum æneum; & satisfaciendo eidem quæsitæ, dico, facile esse scire ex quot denarijs constituatur scutus aureus, dummodo prius firmemus ex quot solidis: nam si scutus aureus valeret sol. 68. tunc denarij 816. constituerent scutum; si verò va-

leret sol. 90. prout in crida Reip. Genuensis super valore monetarum, tunc denarij 1080. constituerent scutum aureum.

25 Aut loquimur de denarijs aureis, quibus negotiatores vtuntur pro calculo, & partitione scuti aurei, & dico, denarium aureum esse ducentessimam quadragesimam partem scuti aurei, quia scutus aureus est idem, quod libra solidorum 20. sed denarius est, vt dixi, duodecima pars solidi: ergo denarius, factò calculo solidorum 20. erit, vt dixi, ducentesima quadragesima pars scuti aurei; sicque 240. denarij aurei faciunt vnum scutum aureum, seu vnam libram; sed sicut hæc libra est imaginaria, & non reperitur, ita etiam non reperiuntur hi denarij, nisi imaginarij.

Et hæc sufficiant, reliqua habes infra §. 5. glos. 2.

26 QVAERO sexto, qua monetæ specie ematur scutus marcharum, idest, eius valor?

Respondeo, quòd emitur scutis aureis, vel alia moneta, de qua contrahentes conueniant, & vt plurimum moneta argentea, quæ sit in vsu eo in loco, vbi emitur, vt explicauimus infra num. 79. & §. præcedenti quæst. 5. num. 61. & seqq. & similiter, quando scuti marcharum venduntur in nundinis, & eorum pretium solui debet in Ciuitatibus, & locis ex reditu nundinarum, solutio fit in monetis illius loci currentibus: Sed in nundinis solutio actualis scutorum marcharum non potest fieri, nisi in scutis aureis; In ciuitate tamen Genuæ dispensatum est, vt in cambijs possint solui scuti argentei illius Reip. vt dixi infra §. 5. gl. 3. initio.

27 De alijs numismatum, & monetarum speciebus, nempe, de quadrante, & asse, vide quod scripsi supra num. 21. & seqq. de quodupondio, assario, semi, triente, sextula, semiuncia, vide Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 1. sub num. 2. vers. primum. & num. 3. in fine, vers. dupondius. & nu. 4. tom. 1. fol. 669. & 670. de quinario, qui & victoriatus dictus est, & valet quinque assibus, & nos Romæ vocamus, grossum; de sestertio, libella, obolo, siclo, libra, & talento, vide Couar. qui alios citat, d. tract. de veter. collat. numism. cap. 2. nu. 7. in fine, vers. quinarius. & vers. sestertius. & sub n. 8. vers. erat. & vers. obolus. & nu. 9. vers. apud. & seqq. & cap. 4. num. 3. vers. quandoque. & num. 4. & 5. tom. 1. fol. 673. & seqq. nos enim, si de his plura, quam fecimus, faceremus verba, ni-

mis extra materiam vagaremur.

QVAERO septimo quid est marcha?

Respondeo, præmittendo prius, hoc nomen marchæ apud peritos linguæ latinæ non inueniri, sed esse recens, & vulgare nomen, quo utitur text. in cap. 12. constitutus. ibi, vnam marcham sterlingorum. de procur. & in cap. 2. de arbitr. in cap. 4. cum pridem. de pact. in cap. 16. quanto. de censib. & in regul. cancel. de val. exprim. in impetr. benef. vt admonet Sarnen. in d. reg. q. 9. initio, quare marcum, seu marcha est nomen Germanicum, vt sequitur Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 2. sub num. 4. vers. nostri verò. tom. 1. fol. 671. & marcha apud Germanos significare limen, scribit Io. Garf. tract. de expens. & meliorat. cap. 12. nu. 37. tom. 17. fol. 301. vel dicitur marcha, eo quòd esset instrumentum mercandi, vt dicit Hier. de Luc. tract. de camb. in verbo, marcha. num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 408.

29 Sed; quicquid sit de origine nominis, accedendo ad quæstionem, dico, marcham esse partem assis, idest, libræ, quæ pars constat pondere octo vnciarum auri, hasq; octo vncias nostræ leges vocant bessem, cum bes sit bis triens assis, idest, libræ, quæ constat duodecim vncijs; sicq; libra diuiditur in triplicem trientem, idest, in triplicatas quatuor vncias, vt sint ter quatuor vnciæ, quarum bis quatuor proprio nomine dicuntur bes: quare marcha sunt octo vnciæ auri vnus libræ Romanæ, Ias. in §. omnes autem. nu. 7. Instit. de action. & in l. 2. §. ex his. nu. 16. ff. de verb. oblig. Albert. in rubr. de hæret. quæst. 5. sub num. 6. Sarnen. d. q. 9. vers. solutio. Couar. d. cap. 2. nu. 3. & 4. & Hier. de Luc. in d. verbo, marcha. num. 1. quem sequitur Romoald. Coli tract. de camb. cap. 11. sed decipitur, dum dicit, marcham esse idem, quod selibra, nam si marcha sunt octo vnciæ, vt ipsemet testatur, & selibra sunt sex vnciæ, non video quomodo dicat, marcham esse selibræ.

30 Marcharum vsus non fuit introductus, nisi vt marchæ venderentur, sicut aliæ merces; nam cum nundinæ primum celebrarentur Geneuæ, seu alio in loco, (in hoc enim non insisto, nec reperio quid certum apud scriptores) veniebant illuc mercatores ex omnibus mundi partibus, & plerique ex Germania, qui vendebant aurum in massa ad pondus octo vnciarum, quam massam vocabant marcham; & multi mercatores Itali, qui ad easdem nundinas deferebant varias

merces, venditis illis, ex eorum pretio emebant illas marchas, quibus delatis in Italiam ad eorum ciuitates, ex illo auro cõficiabantur pecuniæ sculptæ, & sic aliquid lucri faciebant, Hier. de Luc. in d. verbo, marcha. n. 3. Alex. Rauden. in expos. banch. S. Ambr. num. 50. & 51. & Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in prælud. vers. pro intelligentia. fol. 213. sed postea, destitutis illis nundinis in ciuitate Geneuæ, cœperunt nundinæ fieri Lugduni, quæ est ciuitas in Gallia, & postea Bezenzoni; & demum hodie in ciuitate Placentiæ, vt latius recensui gl. seq. num. 3. & 4. & in istis non amplius fuit continuatus vsus ille vendendi, & emendi dictas marchas, quia Germani illas forsitan non deferebant, & dato, quòd illas deferrent; tamen, auctis negotijs, cognitum fuit, quòd pro vsu mercaturæ, & negotiationis expediebat, vt in illis nundinis deferrentur scuti sculpti, & fieret negotiatio cambiorum, vt latius explicauimus §. præced. q. 6. num. 7. & 8. quare fuit introductus vsus, vt loco vnus marchæ auri venderentur, & emerentur sine statera scuti 65. sculpti, excussi, & impressi, qui retinerent nomen scutorum marcharum, postquam in illarum locum fuerant subrogati, Hier. de Luc. in d. verbo, marcha. sub num. 4. & Alex. Raud. vbi supra num. 52. & sic 65. scuti aurei valent vnam marcham, Romoald. Coli tractat. de camb. cap. 11. & ita dicunt omnes mercatores; nam cambium est emptio, & venditio pecuniæ, vt explicauimus d. §. præcedenti. q. 4. num. 21.

31 Habemus eadem ratione marcham argenti, constantem similiter ex octo vncijs, sed sicut argentum est longè inferioris valoris auro, ita vt vna drachma auri valeat vndecim drachmas circiter argenti, vt scripsi infra sub num. 52. ita etiam marcha argenti puri valebit sex ducatos aureos, & in Anglia ducatos quatuor, secundum Sarnen. in reg. de val. exprim. & c. q. 9. vers. solutio. in fine.

32 Præmissa hac cognitione, quòd marcha constet ex octo vncijs vnus libræ, vt dixi supra num. 29. successiuè explicaturi sumus, quid & cuius valoris sit scutus marcharum, sed expedit, vt pro absoluta intelligentia explicemus prius ipsam libræ, eiusq; partes, tam in pondere, quàm in valore, postquam & marcha, & scutus sunt portiones libræ; & à libra in pondere inchoabimus.

QVAERO octauo ex quot vncijs constet libra, & quæ partes constituentur ex vncijs;

cijs; Item vncia ex quot drachmis, drachma ex quot scrupulis, scrupulus ex quot filiquis, & filiqua ex quot granis.

33 Respondeo, omnes sciunt, quod libra Romana, de qua agimus, constat ex duodecim vncijs, Afflict. in constit. neap. lib. 1. rubr. 97. in constit. poenam. num. 2. Lancell. Gall. tract. de statut. in verbo, solidos. q. 1. nu. 17. tom. 2. fol. 330. Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 2. nu. 3. vers. romanorum. tom. 1. fol. 671. & Bertaz. de claus. claus. 30. gl. 5. sub num. 4. & hoc sciunt omnes; † quarum duodecim vnciarum vncia dicitur ab vno, duæ vnciæ dicuntur sextans, quasi sexta pars assis; nam, factis sex partibus 12. vnciarum, duæ vnciæ sunt sexta pars, quæ dicitur sextans, tres vnciæ dicuntur quadrans, quatuor vnciæ dicuntur triens, quinque vnciæ dicuntur quincunx, sex vnciæ dicuntur semis, idest, dimidia assis, septem vnciæ dicuntur septunx, octo vnciæ dicuntur bes, quem etiam marcham diximus supra num. 29. nouem vnciæ dicuntur dodrans, decem vnciæ dicuntur dextans, vndecim vnciæ dicuntur deunx, & duodecim constituunt libram; & hisce iisdem libræ partibus Doctores constituunt, & vocant vsuras, de quibus dixi §. præcedenti q. 7. par. 2. ampl. 8. sub num. 53. vers. hæc nautica.

34 Vncia constat ex octo drachmis, Couar. in loco supra proximè citato, Vulp. tract. de treg. & pac. q. 51. num. 9. tom. 11. par. 1. fol. 411. Romoald. Coli tractat. de camb. cap. 11. & sic libra constat drachmis 96. cumulatis duodecim per octo vices, Couar. d. tract. cap. 3. sub num. 2. vers. reges. fol. 676.

35 Drachma diuiditur in diuersas partes; eius autem minutiores partes sunt septuaginta duo grana, Romoald. Coli tract. de camb. cap. 11. & distinctè Couar. infra citatus; † nam drachma conficitur ex tribus scrupulis; scrupulus ex sex filiquis; filiqua ex quatuor granis, & sic 24. grana faciunt vnum scrupulum, quia ter 24. faciunt 72. quare tres scrupuli faciunt drachmam, idest, 72. grana, Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 2. num. 3. vers. romanorum. & vers. hinc denique. vbi notat, vsum granorum in pondere scutorum non esse tutum, pondus, cum ex granis alia sint robusta, alia recentia, ideoq; hæc maioris ponderis, alia verò inania, & vetusta, ideoq; leuiora: quare, inquit, regia pragmatica statutum esse, vt grana frumenti prorsus ab vsu ponderum abijciantur, atque grani pondus æquale,

iuxta rationem vnciæ ex orichalco conficiatur, vt legitima, certa; fit iusti ponderis ratio. † Datur etiam obolus, qui est ponderis genus, continens sex filiquas, & est medietas scrupuli, & sic quadragesimo octaua pars vnciæ, Cott. in memor. in verbo, obolus. sed Cott. attentis prædictis, esset sibi contrarius, quia nos diximus, quod scrupulus constat ex sex filiquis, & totidem secundum Cott. continet obolus, & postea dicit, quod obolus est medietas scrupuli: vnde obolus contineret non sex filiquas, sed tres filiquas. Gl. in cap. 87. quis. in verbo, nisi siclo. de poenit. dist. 1. ponit hos versus.

*Tres siclos obolus, obolos tres drachma, sed octo*

*Vncia fert drachmas, duodena dat vncia libram,*

*Siclus habet septem drachmas obolo minus vno.*

Et hæc de libra in pondere, si plura desideras, vide Couar. d. cap. 2. sub num. 3. vers. duella. & seqq.

38 **QVAERO** nono de libra in valore ad vsum pecuniarium, seu nummarium, & tam de libra aurea, quàm argentea, & ærea.

Respondeo, quod libra auri monetata, quæ similiter constat duodecim vncijs, vt dixi supra sub num. 32. conficit septuaginta duos scutos, nummos, seu solidos aureos; l. quoties. C. de suscept. præpos. & arch. lib. 11. Socc. conf. 48. in præsentia consultatione. num. 8. lib. 1. Alex. conf. 35. viso themate. sub num. 5. lib. 2. Ias. in l. puniri. num. 2. C. si contr. ius. vel util. publ. Felyn. in cap. 16. conquerente. sub num. 2. licet corruptè legatur, aliàs errasset, & ibi Addit. de offic. ordin. Affl. in constit. neap. lib. 1. rubr. 97. in constit. poenam. n. 2. Vulpel. tract. de treg. & pac. q. 51. n. 9. tom. 11. par. 1. fol. 411. Brun. tract. de monet. augm. num. 8. tom. 12. fol. 207. Henr. Bott. tract. de synod. episc. par. 3. num. 82. tom. 13. par. 2. fol. 386. Feder. Schenc. tract. de testib. nu. 61. tom. 4. fol. 78. Lancell. Gall. tract. de statut. in verbo, solidos. in princ. num. 5. tom. 2. fol. 330. Fabian. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. princip. sub num. 3. tom. 6. par. 1. fol. 51. Sarnen. ad reg. cancel. in reg. de val. exprim. q. 9. vers. ab istis. Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 4. num. 2. vers. ex his etiam. tom. 1. fol. 687. Bertaz. de claus. claus. 30. gl. 5. sub num. 5. Tels. lun. tract. de monet. augm. par. 1. sub num. 18. & dixi in meo tract. de iud. caus. & c. lib. 1. cap. 99. sub num. 2. q. 2. & hoc transit

sine controuersia, inspecto tempore antiquo, & sic perneceffe quælibet vncia conficiebat sex aureos, Alex. vbi supra, quem secutus sum d. cap. 99. sub num. 2. quia, cum mulatis 12. per sex vices, seu sex per duodecim, conflatur summa septuaginta duorum, hincq; arbitror, Rebuffum, seu potius typographum ad constit. Franciæ, tract. de litter. oblig. art. 5. gl. 1. num. 3. in fine, tom. 1. fol. 125. errasse, dum scribit, quod libra valet 70. aureos.

- 39 Sed hodie libra auri conficit 96. ducatos Venetos, seu Florentinos, prout testantur Ias. Fab. de Mont. & Sarnen. in locis supra proximè citatis, & dixi d. cap. 99. sub num. 2.
- 40 † quia hodie vncia non sex aureos tantum, vt antea, sed octo conficit aureos, seu ducatos, Sarnen. d. reg. de val. exprim. q. 9. vers. solutio. ibi, & quælibet vncia. & aduertit etiam Fab. de Mont. d. q. 5. num. 3. in vltimis verbis; & hac ratione ex libra conficiuntur 96. aurei, quia, calculatis octo aureis per duodecim vices, constituuntur 96. aurei;
- 41 † vnde & illud sequitur, quod quilibet ducatus est drachmalis, idest, pædet drachmam vnam, vt scribit etiã Sarnen. d. q. 9. vers. aurum etiam. versus finem; quare cum quælibet drachma conficiat vnum ducatum aureum, vt notat etiã Romoal. Coli tract. de camb. cap. 11. seu vnum aureum; & libra constet ex 96. drachmis, vt dixi supra nu. 34. dicetur constare ex 96. ducatis: & conficitur libra hoc numero 96. ducatorum, non solum si sint ducati Vngarici, vt scribit Sarnen. in loco supra proximè citato, seu Veneti, seu Florentini, vt loquuntur idem Sarnen. Ias. & alij, sed etiam si sint ducati Senenses, vt scribit Socc. d. conf. 48. sub num. 8. quem sequitur Addit. ad Felyn. in loco supra proximè citato, & etiam si sint alij nostrates aurei, vt loquuntur Vulp. tract. de treg. & pac. q. 51. num. 9. tom. 11. par. 1. fol. 411. & Lancell. Gall. tract. de statut. in verbo, solidos. in princ. nu. 6. tom. 2. fol. 330. & hoc transit sine dubio, quia sunt & aliæ ciuitates, in quibus cuduntur scuti aurei eiusdem valoris, cuius sunt ducati Veneti, & Florentini, & præsertim illi, quos vulgo dicimus, *delle cinque*
- 42 *Stampe*: † sed quicquid isti scripserint de ducatis 96. qui forsan conficiebantur eo tempore, quo ipsi scripserunt, hodie Genuæ, Florentiæ, & Venetiæ ex vna libra auri conficiuntur solum aurei 94. & vna quarta pars alterius scuti aurei.

Ratio autem cur hodie ex libra confician-

tur plures aurei, quàm antea, est, quia ducatus hodiernus non est tanti pöderis, quanti erat ille Romanus; siquidem vncia faciebat sex tantum, & hodie facit octo, vt dixi, & sic ducatus erat sexta pars vnciæ, & hodie est octaua pars, & hanc rationem reddit Ias. in loco supra proximè citato.

- 43 Sunt alij, qui dicunt, libram auri hodie valere centum aureis, vt Thes. Iun. tract. de monet. augm. par. 1. sub num. 18. ibi, & hodie.
- 44 Alij verò dicunt, valere 86. ducatos, Felyn. & Henr. Bott. in locis supra proximè citatis, quorum tamen impressionem arbitror facilè corruptam, prout & corruptè lego in libro meo, Sarnen. in reg. de valor. exprim. q. 9. vers. aurum etiam. dum ait, libram constare ex 66. ducatis, quod ostendit, ratiocinando, quia libra continet 96. drachmas, quæ, inquit, constituunt totidem ducatos.
- 45 Et demum marchus vnius Prouinciæ, seu Regni differt à marchis alterius, ita vt plures ducati fiant ex vno, quàm ex alio, vt videre poteris ex his, quæ scribit Brun. tract. de monet. augm. in princ. sub num. 7. tom. 12. fol. 207. & notat Sarnen. in d. q. 9. vers. solutio. ibi, nam æstimatio marchæ legalis est informis. & hæc difformitas marchæ secundum varia loca reperitur etiam, in marcha argenti, vt scribit Sarnen. d. vers. solutio. in fine.
- 46 Hinc est, quod si dicamus, marcham æstimari 65. aureis, vt dixi supra num. 30. versus finem, falsa videtur communis sententia, quæ tenet, libram auri confici 96. aureis; quia si marcha, quæ constat ex octo vncijs, vt dixi supra num. 92. æstimatur 65. aureis, vt dixi: ergo libra, quæ constat 12. vncijs, vt dixi supra sub num. 32. conficitur aureis 97. & dimidio alterius scuti; quia si octo vnciæ faciunt scutos 65. & quatuor vnciæ faciunt scutos 32. & dimidium; summatis scutis 32. cum dimidio per tres vices, oritur summa scutorum 97. cum dimidio; vnde Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 3. sub nu. 2. tom. 1. fol. 676. ratiocinatur, libram confici aureis 98. stãte regia iussione, vt ex quilibet marcha percuterentur aurei 65. & tertia alterius nummi pars, sed dum ratiocinatur, marcham confici 62. drachmis, tunc ait, libram confici 96.
- 47 Infero ex his omnibus, quod l. penult. si quis. in fine, C. de donat. quæ donationem non insinuatam annullat in ea sola quantitate, quæ excedit summam quingentorum.



solidorum, hodie non annullat eam, nisi in ea summa, quæ excederet solidos, idest, scutos aureos 668. & ratio est, quia hodie tantum inest auri in scutis 668. quantum inerat olim in scutis 500. cū hodie scuti sint minoris pōderis, quàm essent olim, vt dixi sup. sub n. 42. quare, cum olim libra auri cōstaret ex scutis aureis 72. septē libræ auri cōficiēbant scutos aureos 504. & sic donatio valebat vsque ad septē libras auri, demptis scutis quatuor ex tota summa omniū septem librarum: at cum hodie libra auri constet ex scutis 96. quia hodie scuti sunt minoris ponderis, sequitur, quòd donatio non insinuata valebit, vt dixi, vsque ad scut. 668. quia hodie septem libræ faciunt scutos 672. ex quibus, demptis scutis quatuor, remanent prædicti scuti 668. vnde non video quomodo Socc. d. conf. 48. sub num. 8. Ias. in l. 2. §. ex his. sub nu. 16. ff. de verb. obl. & Felyn. in d. cap. 16. conquerente. sub num. 2. de offic. ordin. ratiocinentur libram auri pro scutis 96. seu 86. & postea dicant, quòd hodie donatio non insinuata valet vsque ad summam scutorum aureorum octingentorum, cum atenta ratiocinatione aureorum 96. non resultet maior summa, quàm aureorum 668. vt dixi, & non summa 800.

Corroboratur hæc illatio, eiusq; ratio, tum quia attenditur tempus legis conditæ, vt scribit Alber. Brun. tract. de monet. & c. partic. 12. num. 7. tom. 12. fol. 215. tum quia non donatur amplius.

48 Nota ex ista illatione, quòd licet vsus mutet valorem, constitutum à lege, tamen, veniente casu illius legis, loquentis de valore, est attendendus valor, impositus à lege, & non valor, impositus ab vsu, Sarnen. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. & c. q. 9. vers. solutio. hæc q; omnia, quæ dixi in hac illatione, benè confirmantur ex his, quæ dixi infra gl. 5. num. 178. & seqq.

Declara obiter hoc notandum, vt sit verum, quando est mutata bonitas intrinseca, vt in casu illationis, in quo est diminuta quantitas auri in scuto, & quando est mutata bonitas intrinseca, loquitur Oldr. conf. 252. factum. num. 2. quem Sarnen. citat, seus si esset mutata bonitas extrinseca, vt latius declaravi inf. d. gl. 5. num. 178. & seqq.

49 Hæc maior summa scutorum aureorum, quā dicimus hodie confici ex libra auri, forsitan non procedit in Regno Siciliæ, si verum dicit Addit. ad Felyn. in d. cap. conquerente.

sub num. 2. in littera b. scribens, quòd in Sicilia vncia auri intelligitur de sex aureis, & sic libra auri erit ibi, prout fuit libra legalis scutorum septuaginta duorum, vt ostendi supra num. 38.

50 Et est aduertendum, quòd isti aurei 96. quibus, vt dixi supra nu. 39. constituitur libra auri, sunt 24. caracterū, idest, sunt ex auro puro sine vlla mixtura argumento textus in l. 1. ff. de contrah. empt. in illis verbis, *electa materia.* & l. 1. ibi, *speciei probæ,* & in l. fin. ibi, *obrixiatorum omnium solidorum.* C. de vet. numif. potest. lib. 12. & de hoc non est dubitandum.

51 Libra argenti monetati constat etiam ipsa duodecim vncijs, & sicut illa auri constituitur ex 96. nummis aureis, ita ista constituitur ex 96. nummis argenteis iusti ponderis, nempè vnius drachmæ pro quolibet nummo argenteo, quia denarius, qui idem est, quod nummus argenteus, est octaua pars vnciæ, & sic quælibet vncia facit octo denarios, seu nummos argenteos, & libra habet, vt dixi, 12. vncias, Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 2. num. 7. tom. 1. fol. 672. & in loco infra citato, & quælibet vncia habet octo drachmas, vt dixi supra num. 34. & consequenter sicut in libra insunt 96. drachmæ, vt dixi eod. nu. 34. ita ex ea conficiuntur 96. nummi argentei: & sicut illos 96. auri dixi supra num. 50. esse ex purissimo auro, ita etiam isti argentei debent esse ex purissimo argento, Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 4. num. 1. tom. 1. fol. 686. & 687. & quòd Imperatores post Claudium Cæsarem ex libra signauerint 96. denarios, quorum quilibet erat æqualis drachmæ, refert ex alijs idem Couar. vbi supra cap. 2. sub num. 7. vers. sed & illud. fol. 673.

52 Libra tamen auri, & libra argenti longè inter se differunt in valore, & æstimatione, siquidem; si credimus Plinio, quem citat Couar. in tract. de vet. collat. numism. cap. 3. §. 1. sub num. 3. vers. quarto ad hanc. tom. 1. fol. 678. Romæ olim, cum esset auri penuria, ea fuit proportio auri ad argentum, quæ est quindecim ad vnum; drachma enim vnum auri æstimabatur quindecim drachmis argenti, & sic auri ad argentum erat quindecuplex analogia, seu æstimationis proportio, sed postea, vt testis est Lilius lib. 38. quem similiter refert Couar. sub d. num. 3. vers. deinde. vna pars auri fuit decem partibus argenti æstimata, & demum variè va-

- rijs temporibus, ita tamen, vt vna pars auri nunquam fuerit æstimata pluris, quàm quindecim argenti, neque minoris, quàm decem argenti, & hodie æstimatur vndecim, aut duodecim partibus argenteis, paulò pluris, vel minoris, Couar. d. cap. 3. §. 1. sub num. 3. versus finem, vers. quod si . ibi, nostra verò ætate. tom. 1. fol. 679. vna enim vncia auri puri valet duodecim, & sic libram argenti puri, vel paulò minus, Tefs. Iun. tract. de augm. monet. par. 1. num. 18. versus finem, & quòd etiam olim decem aurei valerent libram argenti, scribunt Brun. tract. de monet. augmen. in princ. sub nu. 8. tom. 12. fol. 207. & Sarn. ad reg. Cancell. in reg. de val. expr. & c. q. 9. vers. ab istis.
- 53 Libra æris constat & ipsa ex duodecim vncijs, & ista satis longius distat in valore à libra auri, siquidem text. in l. vnica, C. de collat. æris. lib. 10. scribit, quòd pro 20. libris æris potest solui vnus solidus auri, sed hæc libra æris ex quot assibus, seu quadrantibus, aut æreis denarijs conficeretur, & ex quot conficiatur hodie, nondum legi; dico tamen, quòd hodie, attenta varietate quadrantum, & denariolorum, quibus vtuntur status Ecclesiasticus, Regnum vtriusque Siciliae, Genua, Etruria, & aliæ innumeræ ciuitates, non potest dari resolutio vniformis, verum facile est cuique experimentum facere.
- 54 Libra tamen qua significamus non pondus, sed certum pretium, quòd non reperitur in certa moneta excussa, quæ vocetur libra, sed reperitur in valore aliarum monetarum, ideoq; potest dici ficta, & imaginaria, constat ex 20. solidis, qui 20. solidi sunt 240. denarij, quia quilibet solidus conficitur ex 12. denarijs, vt dixi supra num. 18. vnde paria sunt, dicere librã, 20. solidos, seu 240. denarios, Lancell. Gal. tract. de statut. in verbo, solidos. in princ. sub num. 7. & 9. tom. 2. fol. 330. & ita seruetur Genuæ, vbi habent solidos, & denarios, qui conficiunt libram, sed libram monetatam de per se non habent, testibus Alber. Brun. tractat. de monet. & c. partic. 6. sub num. 1. tom. 12. fol. 212. & Tefs. Iun. tract. de augment. monet. sub num. 80. par. 1. & quòd ista libra 20. solidorum sit imaginaria, tam Mediolani, quàm alibi, scribit sub num. 24. ead. par. 1. & quòd libra Ferrariensis, Bononiensis, & Mutinensis constet ex 20. solidis monetæ, seu solidis bononenorum, scribit Bertaz. tract. de clauf. clauf. 30. gl. 5. sub num. 1.
- 55 Minus etiam reperitur libra Turronensis, quæ sit de per se monetata, sed constituitur duodecim turronensibus, qui constituunt vnum ducatum de Camera, de qua re vide, quæ latè scribit Sarnen. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. quæst. 9. vers. libra turronensium.
- 56 De multis alijs libris diuersorum locorum vide Sarnen. ibidem.
- 57 Cognita libra in pondere, & valore, si tam aurum, quàm argentum esset purum, nihil dicendum superesset; sed quia tam aurum, quàm argentum quãdoque habet æris mixturam; & tunc pretium rei aureæ, & pretium rei argentæ, non ex pondere, & valore cognosci potest, ideo aurifices, fabriq; argentarij tam in demensione marchæ auri, de qua locutus sum supra num. 28. 30. & seqq. & vnciæ auri, de qua etiam locutus sum supra num. 34. & 40. quàm in demensione libræ argenti, de qua etiam locutus sum supra num. 51. ad agnoscendam auri, argentique quantitatem non recurrunt simpliciter ad prædicta pondera, de quibus locuti sumus, sed recurrunt etiam ad caracta, & quilates in auro, & ad denarios in argento, quæ caracta, quilates, & denarios non pondere cognoscere valêt, sed solum vsu lydij lapidis, quo mixtura metallorum, discernitur: † aurifices ergo auri marchum, quòd constat octo vncijs, vt dixi supra num. 29. diuidunt in 24. caracta, quæ vulgo quilates vocamus, vnde quælibet vncia constat ex tribus caractis; hocq; aurum 24. caracterum Græci vocant aurum purum, & obryzum, vt scribit Sarnen. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. q. 9. vers. aurum etiam nullam enim habet mixturam alterius metalli, nec argenti, nec æris, & sic Imp. in l. fin. C. de vet. numis. potest. solidos de optimo auro vocat, obryziatos, & proinde, quando dicimus, oro de 24. caratti, intelligimus de auro, quo melius non reperitur, quia est purissimum sine vlla mixtura; † Quòd si marchæ auri admixta sit vigesima quarta pars æris, vel argenti, tunc istud aurum dicetur vintitrium caracterum, quia ei deficit vnum caracta, si verò auri marchæ sit mixta argenti, vel æris duodecima pars marchæ, dicetur aurum vintiduorum caracterum, cum deficient duo caracta, quot enim remanent caracta auri in marcha, tot caracterum dicitur illud aurum: & in summa omnis res aurea, puta, scutus, anulus, cathena, & similia

milia aurea constant ex certo, & non fallaci pondere, sed tota illa massa, seu res, quæ apparet aurea, vel est ex auro puro, & dicitur esse de auro 24. caracterum, vel non est ex auro puro, sed habet admixtum aliud metallum, & tunc non dicitur 24. caracterum, ideoq; est inferioris valoris, iuxta numerum caracterum, Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 3. §. 1. sub num. 4. vers. hæc autem. tom. 1. fol. 679. & quod aurum distinguamus in 24. gradus, quos characteres, seu caractos appellamus, ita quod aurum pretiosius dicamus in liga 24. caracterum, prout sunt communiter floreni, seu ducati aurei, scribit Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 11. tom. 12. fol. 207. & quod aurum & argentum distinguantur vt supra, scribit etiam Tefs. lun. tract. de monet. augm. par. 1. num. 16. in fine.

60 Hancq; auri bonitatem, idest, puritatem, & mixturam aurifices, auro ipso in lydio lapide perfricato, rectè discernunt, etiam vsque ad vnum scrupulum, nulla ratione decepti, si credimus Plinio, dum lib. 33. nat. hist. cap. 8. sic inquit: *sed eadem fraus, quæ in omni vitæ parte ingeniosissima est, viliores excogitavit materiam, vt docuimus. Auri, argentiq; mentionem comitatur lapis, quem coticulam appellant, quondam non solitus inueniri, nisi in flumine Imolo, vt auctor est Theophrastus; nunc verò passim, quem alij heracium, alij lydium vocant: sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis, binasq; latitudinis non excedentes: quod à sole fuit in his, melius, quàm quod à terra. His coticulis periti, cum è vena vt lima rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri sit in ea, quantum argenti, vel æris, scrupulari differentia mirabili ratione non fallente, prout ex eodem Plinio refert, Couar. sub d. num. 4.*

61 At argentum non per caracta, sed per denarios demetiuntur, ita vt puritatem, quam in auro numerant per caracta, & constituunt ex 24. caractis, in argento numerent per denarios, eamvè constituent duodecim denarijs, vt scribunt Couar. infra citatus, & Tefs. lun. tract. de augm. monet. par. 1. num. 16. in

62 vltimis verbis; † Quod si argentum, seu marchus argenti habuerit duodecimam partem mixtam æris, tunc eiusmodi argentum dicitur vndecim denariorum, & sic deinceps, ita vt quot remanent denarij argenti, totidem denariorum dicitur illud, argentum,

nulla in hoc remanente differētia inter modum æstimandi puritatem argenti, & puritatem auri, nisi in hoc, quod summam puritatem auri, quam Latini, obruffam, vocant, & inde de re summæ perfectionis extat proverbium (ad obruffam) constituunt per numerum 24. caracterum, & summam puritatem argenti per numerum 12. denariorum, prout hæc omnia docet Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 3. §. 1. num. 6. vers. argenti. & sub num. 5. circa medium, tom. 1. fol. 680. † seu, vt alij loquuntur, argentum pretiosum distinguitur per duodecim gradus, quos vocant 12. ligas, ita vt argentum, magis pretiosum, seu copulatum, dicatur esse ligæ 12. denariorum, & si ex vna libra talis argenti adimamus dimidiam vnciam argenti, & eius loco ponamus dimidiam vnciam æris, dicitur esse in liga 11. denariorum cum dimidio: si verò loco vnus vnciæ argenti subrogemus vnciam æris, dicitur esse ligæ 11. denariorum; si adimamus duas vncias argenti ex libra, & submittamus duas æris, dicitur esse decem denariorum, vt latius explicat Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 9. tom. 12. fol. 207. † sed vulgus, argentum purum, quod est ligæ 12. denariorum, vocat argentum de copella, seu copellatum, & Latini pusillatum, seu pustulatum, vt scribit Sarnen. in reg. de val. exprim. q. 9. vers. ab istis.

65 Extende hæc omnia, quæ dixi de auro puro 24. caracterum, & de argento 12. denariorum, ex quibus confici debet moneta, vt eiusmodi aurum, & argentum possit reperiri etiam in alchimia, ideoq; poterit cudi moneta etiam ex alchimia, dummodo in ea conficeretur verum aurum, & verum argentum, & consequenter alchimia est scientia vera, & permessa, secundum ea, quæ notant Oldr. Io. And. & alij, quos sequuntur Fabian. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. princ. nu. 8. tom. 6. par. 1. fol. 52. & Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 13. tom. 12. fol. 208.

66 Sed an verum argentum, & aurum confici possit, & ideo vera sit ista scientia, ego hic non audeo aliquid affirmare; nam licet Eymer. in direct. inquis. num. 115. non videatur improbare alchimiam, dum solum exercentes eam iudicat posse haberi pro suspectis, vt retuli §. præcedenti, q. 2. num. 24. Tamen Pegn. in comment. ad eundem Eymer. comment. 26. vers. sententia. in fine,

fol. 477. dicit, tutiorem, & veriorem esse sententiam eorum, qui scribunt, alchimiam esse inutilē, & perniciosam Reip. & certē ita censeo, quia hucusque ista alchimiae scientia non fuit tot seculis reperta, & semper fuit illusoria; nam magister Arnaldus de Villanova, quem dicunt fuisse summum Medicum, & Theologum, & magnum Alchimistam, composuit vnum librum de alchimia facienda, qui liber mille homines depauperavit, vt scribit Brun. vbi sup. & ego non credo, quod ipse Arnaldus, neque vllus alius habuerit istam scientiam, & censeo, omnia esse somnia, & illusiones; quare & Brun. vbi supra refert, se in disciplina legali habuisse quendam socium, qui multum insudauerat in alchimiae professione, & habuisse secum antiquum Alchimistam, pauperrimum tamen, qui, ipso Bruno, & socio praesentibus, reduxit vnam vnciam argenti pretiosissimi ad instar auri in pondere, fusione, & malleatione, saluo colore, qui non erat croceus, sed mutatus ad instar quasi plūbei coloris, & ait, dictum suum sociū habuisse modū dandi colorem croceum, & subdit, quod admixta illa vncia, redacta ad instar auri, cum vncia auri, videbatur aurum 20. caractorum, & plus, & minus, prout illa materia erat melius disposita, & quod quidam magnus Praelatus, ac multi antiqui Alchimistae mirati fuerunt de illo experimento, & quod vnus antiquus Alchimista putabat, se reducturū illam materiam ad veram speciē auri, & non potuit, purauitq; propterea tūc ipse Brun. illā artem esse illusoriam, maximē ex quō tot viri in 40. & 50. annis non viderant tam mirabile experimentum, quod, inquit, erat nihilominus sophericum, & ideo aliud experimentum ipse amplius videre noluit.

67 QVAERQ decimo, quid est scutus marcharum?

Respondeo, scutum marcharum esse scutum fictum, & imaginarium, Alex. Rauden. in exposit. sup. ban. S. Ambr. num. 53. & dixi §. praeced. q. 2. num. 23. q. 7. par. 1. sub nu. 23. & habes infra §. 9. num. 1. & 25. & haec est vera conclusio, quae apud versatos in facto non habet difficultatem.

Quicquid dixerit Io. Bapt. Cauat. tract. de camb. in praelud. vers. tertio sciendum. fol. 213.

68 Confirmatur haec conclusio, quia sunt & aliae monetae imaginariae, & fictae, quae non sunt monetatae, sed habent valorem ex alijs

monetis; huiusmodi monetae sunt in Vrbe baioccus, carolenus, libra, ducatus, & scutus argenteus; baioccus enim conflatur hodie ex quinque quadrantibus, & olim ex quatuor; carolenus ex baiocchis septem cum dimidio alterius baiocchi, libra ex duobus carolenis, sicq; ex quindecim baiocchis, ducatus ex iulij septem cum dimidio alterius iulij, & scutus argenteus ex iulij decem; sed vnica massa monetata, quae habeat praedictos valores, non reperitur: Genuae, & alibi eiusmodi monetae sunt libra, quae est in frequenti vsu ad emendum, & vendendum, quasuis merces, & non reperitur, nisi virtualiter in 20. solidis, in quavis moneta calculatis: item scutus aureus solidorum 68. & librae aureae solidorum 20. aureorum, quae sunt fictae, & imaginariae, inuentae à Genuensibus pro particulari negotiatione cambiorum in Republica Genuensi, vbi valent scutum aureum in solidis 68. ex quo etiam conficiunt imaginarias libras tres, & solidos octo aureas, vt latius scripsi infra §. 5. glos. 2.

69 Declara primo eandem conclusionem, vt iste scutus marcharum, dum emitur, & venditur, & sic in contractu, habeat pretium variabile, quia in quolibet foro illud imponitur à magistratu mercatorū, habita ratione copiae, & inopiae pecuniarum; hoc tamen pretium, quod imponitur, est semper inferius pretio scuti aurei, vt patet ex his, quae scripsi §. praeced. q. 5. n. 55. & 56. † sed postea in distractu, dum soluitur, habet semper certum & inuariabile pretium, sed etiam inferius pretio scuti aurei, quia tantum valent scuti 101. marcharum, quantum valent scut. 100. aurei, sicq; Genuenses, qui Genuae aestimant scutum aureum in solidis 68. scutum marcharum, qui actualiter de contanti solvatur in nundinis, aestimant sol. 67. & den. 4. & sic 8. den. minus pro singulo scuto, qui 8. denarij centies coniuncti constituunt sol. 68. qui faciunt vnum scutum in ciuitate Genuae.

71 Declara secundo, vt solutio scutorum marcharum, qui non reperiuntur, vt dixi, fieri debeat secundum valorem scuti auri in auro, ligae, & ponderis scutorum quinque stamparum, quae sunt Hispania, Genua, Venetiae, Florentia, & Neapolis, & pro solutione in nundinis additus est hodie scutus aureus Placentiae, vt habetur in capitulis nundinarum Genuensium, num. 10.

72 Declara tertio, vt etiam pretium scuti aurei,

- aurei, veri, & realis; quem habemus in diuersis Regnis, & Prouincijs excussum, sæpè alteretur, & varietur, hæcque variatio à duabus procedere solet causis: prima est propter auri copiam, & inopiam; secunda propter auri bonitatem, idest, puritatem maiorem, & minorem, vt aduertit Couar. tractat. de veter. collat. numism. cap. 3. §. 1. num. 3. in fine, vers. quod si. & num. 4. tom. 1. fol. 679. hancque mixturæ causam (damnando propterea mixturam ipsam) dicens, quòd, sublata ista mixtura, remouerentur illæ augmenti, & diminutionis controuersiæ, nec tam facilis via falsificandi monetas introduceretur, considerat Tefs. Iun. tract. de monet. augm. par. 1. sub num. 10. & sub num. 16. in 2. conclus. alias plures causas cumulauit Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 2. in fine, & num. 3. tom. 12. fol. 207. hæcque auri inopia, & copia, de qua dixi, cognoscitur ex plateis, in quibus pecunia negotiatur, adde omnino quæ scripsi infra num. 110. restrict. 1.
- 73 In Hispanijs scutus, seu nummus aureus ex Regis Hispaniarum constitutione reddit in æstimatione decem regales argenteos nummos, & decem æreos marauedinos, vt refert Couar. d. cap. 3. sub num. 2. versus finem. vers. demum. tom. 1. fol. 676. seu, loquendo de ducatis, quos lex Regia vocat excellentes, nummus aureus reddit vndecim regales argenteos, & vltra vnum marauedinum aureum, idem Couar. sub eod. num. 2. vers. reges. in fine.
- 74 Romæ scutus aureus non reddit in æstimatione pauciores iulios vndecim, & eò amplius aliquot obolos vsque ad vndecim cum dimidio, prout aduertit etiam Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia. sub num. 295. dicens, quòd pretium scuti aurei, statutum expressè à Principe, sunt vndecim iulij, & tacitè per consuetudinem ascendit ad vndecim cum dimidio.
- 75 Genuæ ex illius Reip. crida, seu publico monetarum edicto scutus aureus Hispaniarum, Reip. Genuensis, Venetiarum, Neapolis, & Florentiæ, solet æqualiter æstimari, quia sunt scuti de quinque stampis, & vidi æstimos lib. 4. & fol. 10. & quòd scuti Genuenses, quia fabricantur ex dupla Hispana æstimentur eodem fere pretio, scribit Tefs. Iun. infra citatus, scutos verò aureos aliorum locorum, nempe Mediolani, Sabaudix, Parmæ, Mantuæ, & Placentiæ, qui dicuntur ponderis veteris, & non sunt de

quinque stampis, vidi in eodem edicto Reip. Genuensis æstimos inferiori pretio, videlicet lib. 4. fol. 7. d. 6. monetæ Genuensis, & vocantur scuti auri in auro Italiæ, Item scutus argenti æstimatur Genuæ, sicut scutus quinque stamparum, videlicet lib. 4. fol. 10. vt in eodem Reip. edicto, sed hæc pretia in currenti cursu, & valore non seruantur, & Romæ etiam in dies augetur pretium scuti auri, & quandoque minuitur.

76 Item in Hispania nummus aureus ex illis, de quibus Couar. sup. citatus conficit 350. seu 375. marauedinos æreos, vt per eundem Couar. vbi supra. Sunt & alia genera numerorum aureorum Hispanorum, quorum valor est 485. marauedinos, Couar. eodem cap. 3. sub num. 2. vers. expendebatur.

77 Romæ scutus aureus, si valeat iul. 11. reddit in æstimatione 550. quadrantes.

78 Demum scutorum aureorum aliqui sunt ducati Veneti, quos vulgo vocant, *zecchini*, aliqui Vngarici, Itali, & Sabaudi, qui sunt in pretio, & valore æquales, vt etiam Turcici; sunt & aurei Franciæ, qui dicuntur, *del Sole*, scuti Hispani, qui dicuntur, *pistoletti*: Duplarum etiam quædam duorum scutorum, quædam quatuor, & pluris, vsque ad decem & octo, & vsque ad viginti, & inter istas duplæ antiquæ aragonenses, quæ vulgò dicuntur duorum capitum, æstimantur maiori valore, & post istas est dupla Angliæ, quæ nobliosa dicitur, tertia est Hispana, vltima est Itala, vt has omnes species recenset Tefs. Iun. tract. de augmen. monet. sub num. 22. par. 1.

79 Vtcrius est aduertendum, quòd cambia contrahuntur diuersis monetis, iuxta diuersitatem locorum: nam Romæ cambia contrahuntur ducatis de Camera, quorum centum, valent centum & duos cum dimidio de auro, in aurum monetæ Florentinæ: In ciuitate Neapoli contrahuntur ducatis de carolenis, quorum centum viginti valent centum scutos Florentinos: In Hispanis contrahuntur marauedinis æreis, quorum 500. valent vnum scutum: In Gallia, Belgica, seu Flandria contrahuntur grossis, quorum octuaginta valent scutum; In Britannia contrahuntur stallinis, quorum septuaginta valent scutum: In Gallia contrahuntur marchis, quarum vna valet scutos sexaginta quinque illius monetæ, si credimus Io. Bapr. Lupo in cap. nauiganti. §. 2. num. 17. vers. aliqua modo. de vsur. inter tract. diuers. tom. 7. fol.

7. fol. 138. & quòd cambia contrahatur monetis currentibus in loco, in quo initur cambium, hoc est, quòd scutus marcharum solvatur ea moneta, quæ currit in loco, vbi fit emptio, & venditio, habes infra §. 9. nu. 25. & dixi sup. nu. 27. & adde quæ scripsi §. præced. q. 5. num. 61. & seqq.

80 De omnium ferè monetarum nominibus vide Garzon. in plat. vniuers. discurs. 142. versus finem, De moneta sterlingorum, eorumq; nomine, & origine vide Sarnens. ad reg. cancell. in reg. de val. exprim. & c. q. 9. vers. solutio. in fine, & vers. vt scias, De moneta floreni, de eius nomine, & origine vide eundem Sarnens. ead. q. 9. vers. consequenter. & de multiplici librarum specie vide eundem eadem q. 9. vers. libra turronensium.

81 Monetæ vsus quando inceperit; quis fuerit primus, cuius nomen fuerit in moneta descriptum; quòd moneta fuerit etiam tempore antiquæ legis; & quòd prima moneta mundi fuerit fabricata à Thare patre Abrahamæ ad requisitionem Regis Nini, scribit Gig. tract. de crim. læsæ maiest. rubr. qualiter & à quib. crim. læs. maiest. commit. q. 62. num. 6. 7. & 8. tom. 11. par. 1. fol. 47. & quòd primum numisma æreum fuerit à Iano percussum: quòd Lydij omnium primi nummum aureum, & argenteum percusserint; & aureus nummus Romæ fuerit percussus anno Urbis 642. & dictus fuerit ducatus à Ducatu Romano, & argentum numisma omnium primus signari docuerit Phedon, & Romæ argenteus nummus fuerit signatus circiter annum 483. breuiter refert, & sequitur Gig. d. q. 62. num. 9. & seqq. & quòd multa secula absque nummorum vsu transferint, citato Arist. scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 1. initio, & quòd Seruius, Romanorum Rex, primus signauerit æs nota pecudum, vnde pecunia dicta est, & postea fuisse signatum argentum anno Urbis 585. citato Plin. scribit ibidem; sed in his non infisto, hac breui, & concisa relatione contentus, quia nostro instituto non seruirent.

82 **QVÆRO** vndecimo, an Princeps, cuedens monetam, teneatur in foro conscientia cudere de materia perfecta, in iusto pondere, & sub propria, non aliena effigie?

Respondeo, quòd tenetur in foro conscientia, ex cap. 18. quanto. & ibi not. de iureiur. nam moneta pro sui essentia requirit tria; primum, quòd consistat in materia ele-

cta, & proba. l. 1. ff. de contrahen. empt. & d. 1. C. de vet. numism. pot. lib. 11. ibi, *probæ speciei*. secundum, quòd habeat iustum pondus, d. l. 1. C. ibi, *debiti ponderis*; tertium, quòd habeat formam, vt scribunt Abbb. in d. cap. 18. quanto. num. 9. ibi, sicut enim Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. principali sub num. 2. & 3. tom. 6. par. 1. fol. 51. Martin. Lauden. tract. de monet. sub nu. 9. q. 10. & sub num. 11. q. 14. tom. 12. fol. 203. Alber. Brun. tract. de monet. augm. in prima præsupp. num. 13. vers. iuxta prædicta. tom. 12. fol. 208. Tels. lun. eodem tractat. par. 1. sub num. 5. & hæc est conclusio communis.

83 Declara primo hanc communem conclusionem, vt materia perfecta, & proba dicatur, quando moneta aurea cuditur de auro, argentea de argento, & ærea de ære, secus si cuderetur de alchimia, vel alio metallo, quia tunc Princeps damnificaret subditos, & alios, ad quos talis moneta perueniret, Alber. Brun. d. num. 13. & diceretur eam fraudare, per ea, quæ post alios in fortioribus terminis scribit Abb. in d. cap. quanto. num. 11. ibi, & primo quæro, de iureiur. & hoc non potest recipere controuersiam.

84 Subdeclara primo hanc declarationem, vt sit vera, quando Princeps monetam non auream, sed alterius metalli, quod sit minoris, inferiorisq; pretij, & æstimationis, vellet expendi pro moneta aurea, seu monetam auream, mixtam argento, vel alio ære, vellet expendi tanquam monetam auream puram, quia tunc peccaret, & teneretur in foro conscientia, per ea, quæ post alios notat Abb. in loco supra proximè citato; secus quando vellet eam expendi pro tanto, quanti iustè valeret; & sic tantum pro tanto, quia hoc posset fieri, vt, loquendo de alchimia, scribit Fabian. de Mont. tractat. de empt. & vendit. q. 5. princip. num. 8. tom. 6. par. 1. fol. 52. & quòd nummi ex corio, ex carta, similiq; vili materia possint fabricari, & publico caractere insigniti reijci non possint, refert, & sequitur Tels. lun. tract. de augm. monet. num. 13. par. 2.

85 Subdeclara secundo, vt non sit vera quando Princeps ex aliqua iusta, & vrgenti causa cuderet monetam æream pro moneta argentea, vt puta, occasione belli, & dummodo Princeps extinguat illam monetam sine damno populi, quia iste diceretur casus necessitatis, quæ non habet legem, & ideo

in Insula Meliuetana tempore obfessionis, & belli cum inimicissimo hoste, fuit percussa moneta ærea, quæ expenderetur, non tanquam ærea, sed tanquam argentea, signato in ea valore, & cum istis verbis: *non as, sed fides.*

86 Declara secundo, vt iustum pondus in moneta dicatur, quando aurum, seu argentum monetatum non pluris valet in moneta, quàm in massa, sed tantum valet in massa, quantum in moneta, quia expensa monetationis debet fieri de publico, vt referunt, & sequuntur Fab. de Mont. d. q. 5. sub num. 2. ibi, secundo in pondere. tom. 6. par. 1. fol. 51. & Tefs. Iun. tract. de augm. mon. nu. 20. par. 1. & hanc esse communem opinionem Legistarum, scribunt Martin. Lauden. tract. de monet. num. 6. tom. 12. fol. 203. & Curt. Iun. quem refert Moder. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 10.

87 Contra istam declarationem; quòd enim expensa non sit soluenda de publico; & ideo moneta non debeat esse tanta in pondere monetæ, quanta in pondere massæ non monetatæ, sed debeant detrahi expensæ, tenent cõmuniter Canonistæ in cap. 18. quanto. vbi Abb. sub num. 11. de iureiur. eorumq; opinionem seruari de consuetudine, scribit Martin. Laud. vbi sup. & hanc esse communem opinionem Canonistarum, & declarationem contrariam malè seruari, scribit Alber. Brun. tract. de monet. augment. in prima præsupposit. sub num. 1. tom. 12. fol. 207. & hanc opinionem videtur secutus Curt. Sen. tractat. de monet. num. 2. tom. 12. fol. 205. hancq; expensam, quæ pro fabricatione monetæ requiritur, Principes deducunt, miscendo certam paruam quantitatem inferioris metalli, tam in moneta aurea, quàm argentea, & sic imponunt ligam, idque iusta conscientia fieri posse, tradunt Canonistæ, vbi supra, eorumq; opinionem esse communem, refert Tefs. Iun. d. par. 1. num. 10. & demum hanc contrariam opinionem, re plenè discussa, & multorum iurium interpretatione adhibita, benè tuetur Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 5. ibi, nihilominus. iunctis num. 1. & seqq. tom. 1. fol. 705. 703. & 704. quem sequitur idem Moder. d. cap. 10. sub num. 10. & ab hac contraria opinione non discedit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 5. vers. at enim dubitandum. & hodie in hoc nulla extat controuersia, quia nemo ex

officio debet habere damnum, Abb. vbi sup. & in alio proposito scripsi §. præcedenti, q. 1. num. 73.

88 Declara tertio, vt ista communis conclusio posita supra sub num. 82. & duæ declarationes positæ post eam, num. 83. & 86. sint veræ ex tribus causis: Prima propter vniuersale commerciū expédendi, & emendi etiam cum exteris, & inter externos, & externos sub diuersis Principibus; Secunda, vt tollatur occasio falsificandi monetam, quæ occasio tollitur, si moneta cudatur de proba materia, & in pondere iusto, alias si moneta cudatur de pelle, ligno, stanno, seu ære, & in valore longè vltra massam, multis daretur occasio cudendi monetam sub imagine Principis: Tertia propter variationem monetarum in earum augmento, & diminutione, quæ variatio procedit à pondere, & qualitate auri, & argenti; sed, circumscriptis istis causis, quia scilicet supponamus, commercium cum exteris non fore necessarium, ideoque monetam vnius Principis non esse necessariam in territorio alterius Principis, etiam vicini; remota etiam suspitione falsificandi monetam; & supposita inuariabilitate monetarum, cessarent omnia, quæ diximus in cõclusionem, & declarationibus, & ideo posset moneta cudi in materia, & pondere pro valore, & pretio ad beneplacitum Principis, quia esset idem, ac si cuderetur cum omnibus requisitis, & qualitatibus, de quibus supra sub num. 82. nam licet vsus monetarum sit de iure gentium, tamen valor, & materia monetæ est de iure merè positiuo, vt in effectu scribit Couar. tractat. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 1. vers. cæterum. tom. 1. fol. 703. vnde quisquis valor constitueretur à Principe, remotis prædictis, & similibus causis, quæ excogitari possunt, esset iustus.

Nota, ex hac declaratione posse conciliari contrarietatem, quam sentit Couar. dicto cap. 7. sub num. 1. vers. cæterum. iunctis vers. præceden.

89 Declara quarto, vt forma monetæ dicatur impressio effigiei Principis, seu insigniorum Principis cum solita inscriptione nominis, quia tunc illa forma in primis declarat cuius Principis sit illa moneta, vnde CHRISTVS, vt retuli §. præced. q. 1. sub nu. 195. interrogatus de illa superscriptione monetæ, respondit, *reddite ergo quæ sunt Cesaris Cesari, &c.* Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 9. de iureiur. & de hac forma loquitur etiam

Alber. Brun. tract. de monet. augm. in princ. num. 15. tom. 12. fol. 208. & ista forma monetam authenticat, & publicam facit fidem, quod est probæ materiæ, & iusti ponderis, & tunc sub ista publica fide sine alia experientia recipitur, & expenditur, & ideo si quis illam falsificaret in materia, pondere, vel forma, incideret in crimen læsæ maiestatis, si esset subditus illius Principis, & non subditus committeret falsum, & furtum graue; sed vltimus officinæ nummariæ aliorum Principum faciunt experimentum illorum nummorum, tam aureorum, quam argenteorum, & postea in eorum edictis illos appretiant in eorum dominio, iuxta quantitatem, & qualitatem auri, & argenti.

90 QVAERO duodecimo, ad quem spectet imponere pretium monetis?

Respondeo, distinguendo duplicem usum, seu functionem pecuniæ. Primus usus est emptio actiua, quando pecunia emimus alias res, & iste dicitur usus proprius. Secundus est emptio passiuua, quando pecunia ipsa emitur alia specie pecuniæ, & iste dicitur usus improprius.

In primo usu, nempe in moneta actiua emente, concludo sine controuersia, eius pretium, & valorem imponendum esse à lege, seu Principe, cuius iussu, & auctoritate moneta cuditur, vt apertè sentiunt Card. Caiet. tract. de camb. cap. 6. sub num. 3. ibi, nec obstat. tom. 6. par. 1. fol. 406. Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 3. concl. 2. & sub num. 4. & 5. ibi, idcirco poterit. tom. 1. fol. 704. & 705. Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 3. art. 1. sub num. 3. & 4. tom. 2. fol. 534. Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 3. in vltimis verbis, & scribit clarè Tefs. lun. tract. de monet. par. 1. sub num. 16. concl. 2. & sub num. 68. & apertius par. 2. num. 13. & communiter omnes, & ab his non discrepat Romoal. Coli tract. de camb. cap. 17. vers. per intendere. quem retuli infra sub num. 94. & satis patet, quia eius auctoritate promulgantur vbique criæ, & edicta de monetis.

91 Declara primo hanc conclusionem, vt Princeps, volens imponere iustum pretium, debeat ex generali consuetudine, & ex his, quæ dixi supra sub num. 82. & seqq. æstimare monetam iuxta copiam metalli, in quo cuditur moneta, ita vt, dempta etiam Principis æstimatione, idest, dempto publico si-

gno, Principis auctoritate impresso, adhuc illa moneta in massa esset eiusdem valoris, detracto aliquo modico pro impensa, quæ ad cudendam monetam requiritur, iuxta ea, quæ scripsi sup. sub n. 87. vers. contra. quare tempore, quo scripsit Sot. infra citatus, ducatus in Hispanijs valebat vndecim regalibus argenteis, quia, considerata copia vtriusque metalli, quæ illic erat, hæc fuit legitima æstimatione: at in Italia æstimabatur duodecim carolenis, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, col. 2. initio, fol. 607. quod si Princeps, hac ratione non seruata, monetæ imponeret valorem, excedentem pretium metalli, tunc eius moneta, quia non esset iusti ponderis, vel non esset probæ materiæ iuxta ea, quæ scripsi supra nu. 82. careret commercio, per ea, quæ dixi supra num. 88.

92 Declara secundo, vt Principis edictum, seu lex, imponens pretium monetæ, quæ eiusdem Principis iussu cuditur, liget subditos ipsius Principis, aliosq; in suo dominio monetam illam contractantes; non autem eos, qui in alterius Principis dominio monetam illam negotiantur, quia illi ligantur lege condita ab illo Principe, in cuius dominio monetam soluunt, vel recipiunt; quare videmus, quod Princeps, & Resp. imponit pretium non tantum monetæ propriæ, sed etiam monetis alienis, sicq; cuiusque Principis iussio vires non extendit vltra Principis iubentis statum.

93 Declara tertio, vt populus aliquando ex usu mutet monetæ valorem, à Principe impositum, hancq; mutationem sæpe faciunt Genuenses in scutis argenteis: & vbi populus, sciente, & tolerante Principe, mutat, attenditur valor mutatus; alias attenditur valor impositus à Principe, vt dixi sup. n. 48.

94 Et hæc de primo usu, de quo sup. sub n. 90. In secundo usu, nempe in moneta passiuua, idest, moneta emenda, Doctores communiter concludunt, quod Princeps, imponendo valorem monetæ, non se intromittit de valore in hoc secundo usu; aut enim præsentis moneta emitur moneta absens per viam cambij de vno ad alium locum per litteras, præsertim nūdinarias, de quo cambio, & litteris nūdinarijs satis egi §. præced. q. 5. nu. 45. & seqq. & q. 7. par. 1. num. 6. & seqq. ferè per rotam; & tunc eiusmodi cambij, seu commutationis pretium videtur spectare ad arbitrium sapientum, qui considerent qualitatem, & abundantiam numismatum, vt scribit Card.



Caiet. tract. de camb. cap. 6. num. 3. in fine, tom. 6. par. 1. fol. 406. & latius explicavi gl. seq. num. 13. & 14. quasi valor pecuniæ absentis quantus sit propter expensas, & pericula committatur arbitrio sapientum, idest, bonorum virorum, qui omnia rectè confiderent: aut emitur moneta præsens, tanquam merx, cum moneta præsentis, & tunc numisma poterit vendi, & emi vltra, & citra pretiũ taxatum à lege, dũmodo id, in quo receditur à pretio per legẽ, seu per Principẽ imposito, sit exiguum, Couar. tract. de vet. collat. numif. cap. 7. sub n. 3. in 2. concl. quia numisma habet taxatũ pretium in sui primo vsu, de quo scripsi §. præcedenti, q. 7. par. 1. num. 61. & quoad hunc vsu nulli licet transgredi eius æstimationem, à lege taxatam, sed in hoc altero eius vsu improprio, de quo etiam dixi eod. num. 61. & 62. non habet taxatum certum valorem, Couar. eod. cap. 7. num. 4. in 3. conclus. tom. 1. fol. 704. & quòd aliud sit valor nummi, & aliud æstimatio accidentalis nummi; siquidem valor nummi datur à lege Principis, qui taxat pretium monetarum; sed æstimatio accidentalis, quæ oritur ab occasionibus, & accidentibus temporis, est illa, quæ iudicatur à prudentibus, & peritis in arte negotiandi, hancq; accidentalem æstimationem obseruent negotiatores cambiorum, scribit Romoal. Coli tract. de camb. cap. 17. vers. per intendere. & quòd habens nummos auri obryzi, possit eos vendere, aut permutare, veluti nummos, & fragmenta auri, & plus aliquid, quàm valeant, accipere ab eo, qui eis indiget ad inaurandum, curandum, & similia, si illud plus ex materiæ suæ bonitate reuera valeant, aut eò, quia venditor, vendendo, amittit aliquam commoditatem, scribit, loquendo de lege, quæ prohibeat mutationem pretij pecuniæ, Nauar. in cap. nauiganti. num. 20. vers. credimus. post vers. decimo quarto. de vsur. & idem in effectu, si illud plus iusto pretio sit exiguum, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, concl. 1. col. 2. fol. 607. reprobans argumentum Ioannis Metinensis de non excedendo pretio, quo taxatum est frumentum, & scribit etiam Couar. d. cap. 7. sub num. 3. in secunda conclus. & adde, quæ, loquendo de cambio minuto, scripsi infra num. 124. vers. de clara. Et, quòd negotiator cambiorum possit commutare aureum cum quatuordecim, seu tredecim iulij Italij, vel regalibus Hispanicis, quamuis Principis, seu

Reip. auctoritate valeat solum duodecim iulij, seu regalibus, quia lex Principis, vel communis æstimatio, taxando pecuniæ æstimationem, taxat illam, vt est pretium rerum venalium, non autem vt ipsa est res quædam per se utilis, & commoda ad multa, scribit, soluendo hac distinctione quasdam obiectiones, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 4. in secunda opinione, Et quòd nemo cogi possit ad dandum maius pretium, quàm sit taxatum à Republica pro moneta; loquendo de moneta in suo vsu principali; & tamen propter alium secundarium vsu, & singulare interesse iustè possit aliquid amplius accipi, scribit idem Nauar. in man. confess. cap. 17. nu. 288. versus finem, & quòd aurei eo respectu, quo sunt merx, & campsibiles, seu commutabiles, & quoad effectum vendendi volenti eos emere, præsertim data eorum penuria, possint vendi maiori pretio, quàm sit à Republica statutum, & quòd in Vrbe, quamuis pretium scuti aurei, à Principe expressè statutum, sint vndecim iulij, & tacitè per consuetudinem ascenderit ad vndecim cum dimidio, tamen propter penuriam soleat cum quærete scutos aureos in auro commutari, additis vno, duobus, vel tribus obolis, siue baiocchis, licet nemo cogatur illo pretio accipere, scribit idem Nauar. eod. cap. 17. num. 295. vers. in num. 63. & in d. cap. nauiganti. num. 58. vers. quare noui. & sic impositio pretij, facta à Principe, esset forsan etiã quoad hunc secundum vsu obseruanda post factam commutationem, seu emptionem, nullo inter contrahentes conuento pretio, & ipsis contrahentibus discordantibus, ita, quòd emens nolit monetam emere maiori pretio, quàm sit à Principe taxata; secus, ipsis contrahentibus concordibus; sicq; pretium monetæ in isto secundo vsu videtur, sicut aliarum rerum, & mercium, spectare ad ipsos contrahentes; & in hoc videntur Doctores communiter conuenire; vnde nos in simili videmus, quòd etsi pretium scuti marcharum imponatur à Magistratu, ad id deputato, vt dixi gl. seq. num. 13. & 14. & illud pretium dicitur, *al conto*, & illi pretio stare debent, qui, nullo inter se pretio conuento, cambirent, seu cambiorum interesse prætenderent; tamen possunt contrahentes de certo pretio vltra, & citra impositum conuenire, vt dixi §. præced. q. 5. num. 70. & q. 7. par. 2. ampliati. 10. num. 60. & seqq.

95 Ego, aliquantulum discedendo ab hac communi traditione, distinguo duos casus.

Primus casus est, an Princeps, imponendo valorem, & pretium monetæ, censeatur illum imposuisse tam monetæ actiuae, idest, in primo vsu, prout est ordinata ad emendum res, & merces; quàm monetæ passiuæ in secundo vsu, prout, vti merx, potest emi, & vendi.

Secundus casus est, an Princeps possit, si velit, imponere pretium monetæ etiam passiuæ, idest, in eius secundo vsu, prout est merx, & pretium impositum excedi non possit.

In primo casu concludo cum communi opinione Doctorum supra citatorum, quòd Princeps, imponendo simpliciter pretium monetæ, censeatur illud imponere solum quoad primum vsu, prout moneta illa est ordinata ad emendum actiue; & non quoad secundum vsu, prout ipsa tanquam merx emi potest, ideoq; prohibitio, quam Princeps faceret, ne illa moneta possit expendi ultra taxationem, neque possit recusari pro illa taxatione, non habet locum in moneta, considerata in secundo vsu.

96 Amplia hanc conclusionem, vt procedat etiam si Principis lex, seu edictum post valuationem monetarum vteretur eiusmodi generalibus verbis prohibitiuis, vt in edicto Genuensi, *ordinando, & commandando, che ogni persona, di che stato, grado, qualità, & conditione si sia, debbia offeruare le valutazioni delle monete, di sopra dichiarate, ne eccedere in qualsiuoglia modo il prezzo, ad esse come sopra statuito, sotto pena della perdita della moneta, che si fusse data, ò spesa, presa, ò riceuuta, contrattata, ò negotiata, ò della valuta di essa moneta*; quia moneta adhuc posset emi, & vendi pro maiori pretio; ideoque licet hoc edictum nummarium videatur prohibere, ne scutus auri in auro Italiae possit contractari, & negotiari pro alio valore, quàm pro lib. 4. fol. 7. d. 6. monetæ Genuensis; tamen poterit vendi, & emi maiori pretio; quia etsi illa verba: *contrattata, ò negotiata*; sint generalia, & comprehendant monetam etiam quoad secundum vsu, prout est merx; tamen dicta verba non sunt posita inter verba dispositiua, sed inter executiua, ideoq; non operantur, & sic non alterant dispositionem, quæ est circa monetam in primo vsu, videlicet, monetam ementem, in qua loquitur dispositio illius edicti, &

verba dispositiua debent attendi, per ea, quæ in alijs terminis scribunt Natt. conf. 372. in quaestione. n. 14. & 16. & latius conf. 582. verba. n. 1. & seqq. Bec. conf. 24. cum magnificus. n. 21. & conf. 111. etsi perlectis. nu. 25. & consequenter toleranda est potius superfluitas dictorum verborum, quàm dispositio in supposito, Surd. decis. 195. admissio. sub num. 9. vers. & non obstat. & dixi in meo tract. de iudic. caus. & c. lib. 2. cap. 2. sub nu. 632. quare dum illud edictum mandat, quòd monetæ non possint expendi alio pretio, quàm statuto in edicto, tunc disponit, & postea, dum contrafacienti imponit poenam, tunc respicit executionem; sed prædicta verba: *contrattata, ò negotiata*, sunt inter verba poenalia; ergo non operantur in supposito.

97 Infero ex hac conclusione, sic ampliata, quòd campfor cambij minuti, vendendo pecuniam campuario, potest illam pluris aestimare, quàm sit aestimata à Principe, hoc est, potest pro suo obsequio, & opera, quam campuarijs in illo ministerio locat, aliquam mercedem iustam, & honestam, seu lucrum accipere, vt, loquendo in campfore publico, seu Reip. ministro, scribunt Conrad. tract. de contract. q. 99. concl. 12. in 2. probatione, Siluest. in verbo, vsura. 4. §. 7. Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 6. vers. si dicas. col. 3. ibi, confirmatur hoc. fol. 363. & q. 9. initio, fol. 373. Nauar. in man. confels. cap. 17. sub num. 288. vers. in 19. & 20. Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 7. sub nu. 4. vers. præsertim. fol. 704. tom. 1. & in hoc nemo dissentit, & loquendo in campfore priuato, idest, nõ deputato à Rep. scribunt idem Conrad. ead. concl. 12. & conclus. 5. Medin. vbi sup. Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, concl. 2. versus finem, fol. 608. Nauar. & Couar. in locis supra proximè citatis, idem Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 19. vers. decimoquarto. de vsur. & in isto campfore intelligo, vt loquantur etiam Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. sub nu. 1. tom. 6. par. 2. fol. 405. Card. de Turrecr. in cap. nec hoc. num. 3. & 4. 14. q. 4. & Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 2. dum Caiet. loquitur in campfore ad differentiam singularium hominum non campforum, Card. de Turrecr. dum loquitur simpliciter de campfore, & Ioan. Azor. simpliciter in negotiatore câbiorum; quicquid dixerint Sot. & Couar. vbi supra, scribentes, quòd Caietanus tenet, licere solum

solum illis, qui à Rep. ad id munus sunt electi; nam Caiet. non se restringit ad campforem, electum à Rep. sed loquitur simpliciter in campfore, qui exercet artem campforiam, Reip. ministrando, cuius campforis duplicem nos constituimus speciem; & in hoc stat fallacia Soti, & Couarruias, qui campforis nomine intelligunt solum illum, qui constituitur à Rep. & quod dicunt Sot. & Couar. procedit in terminis extensionis, de qua infra sub num. 101. vers. extende.

Rationes, quare liceat campforibus plus vendere, seu accipere, sunt illæ, quas adduxi, & secutus sum §. præcedenti, q. 1. num. 424. & seqq. & q. 7. par. 1. num. 44. & seqq. & in nostris terminis Caiet. Conrad. Sot. & Azor. supra proximè citati.

98 Quantò pluris campfores vendere possint monetam, vide infra num. 123. & seqq.

99 Restringe primo hanc illationem, ut non procedat in campfore, salariato à Rep. Romoald. Coli tract. de camb. cap. 4. vers. nota secundo. & expedire Reip. ut ex publicis redditibus solvatur aliqua merces ei, qui tale munus exercet, & in Regnis Hispaniæ sancitum esse, quid pro permutatione pecuniarum accipi possit, scribit Navar. in cap. naviganti. num. 19. vers. decimoquarto. de vsur.

100 Restringe secundo, ut non procedat in persona priuata, quæ non sit campfor, seu negotiator cum taberna, sed faciat aliud exercitium, quia si contingat, ut is aliquando commutet, utique, cum pro illa commutatione nullam faciat impensam, nullumvè suscipiat laborem, iustè aliquid exigere non potest, Card. Caiet. vbi supra, quem sequitur Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 3. art. vnico, sub num. 11. vers. hæc perspicua. & vers. seq. fol. 539. to. 2.

Ratio huius restrictionis est, quia in campfore sunt labor, & industria, pro quibus debetur ei merces; at in priuato remanet solum actus numerandi, qui non est mercennarius, sed gratuitus, & ideo non consideratur, quia contingit sæpè, minus numerare campforem, quàm accipientem; unde potius accipienti, quàm campfori deberetur merces, si attenderet iste actus numerandi, Card. Caiet. tract. de camb. cap. 1. sub num. 1. tom. 6. par. 1. fol. 405.

101 Contra hanc restrictionem tenent Conrad. & alij, quos citavi supra num. 97. vers. infero. & citat etiam Io. Azor. d. cap. 4. q. 6.

vers. secunda sententia. sed ipse foedere distinctionis nititur conciliare hanc contrarietatem, ut restrictio procedat quoad illam mercedem, seu lucrum, quod debetur ratione publici officij, sicquè non possit priuatus capere tantum, quantum potest publicus, rationibus ab eo adductis: contraria verò opinio procedat respectu pretiosioris, commodioris, & utilioris pecuniæ, quam priuatus daret, & respectu alicuius laboris, quem in hoc susciperet; quod idem repetit in priuato, qui cambit per litteras, cap. 5. q. 7. & cap. 6. in fine, q. 5. hocq; idem in effectu ante eum dixerunt Conrad. de contract. q. 99. in 5. conclus. & Medin. in suis tract. tom. 2. tit. de reb. per vsur. acquis. q. 6. in fine, coroll. 3. vers. sequitur etiam. fol. 365.

Adde quæ scripsi infra num. 106. vers. infero. & §. seq. gl. 3. num. 3.

Retenta, si placet, restrictione.

Extende eam, ut, attentis Ciuitatum ordinibus, qui solent mandare etiam sub pœna, ne artes, & alia quædam exercitia fiant in Ciuitate, nisi ab ijs, quos superior, seu Consulatus artis admiserit ad illam artem, seu exercitium, inter quas artes, seu exercitia connumeratur ars campforia, etiam ad minutum, & proinde Romæ, vbi sunt eiusmodi ordines, soli Bancherotti, qui sunt admissi, possunt exercere artem cambiendi ad minutum, & alij non admissi, si eam quoquomodo exercerent, non solum non deberent aliquid accipere, sed vltèrius inciderent in pœnas statutas à Ciuitate, seu Superiore.

Circumscripta autem hac extensione.

Subrestringe primo eadem restrictionem, ut non procedat, quando commutàs numismata, minus dat, eò, quia numismata, quæ ipse dat, sibi commodiora erant; sicut licet rem ex eo, quòd vendenti commodior est, carius vendere, quàm absolutè valeat; unde habens ducatum aureum, si à volente commutare paruam monetam, pro illo solidum vnum exigat, quia ille sibi commodior, non peccat, Caiet. tract. de camb. cap. 6. sub num. 4. tom. 6. par. 1. fol. 406. & facit, quod de re vendenda secutus sum §. præced. q. 7. par. 2. ampl. 10. sub num. 62.

Secus si hæc commutatio sit utilis quidem quærenti commutationem, sed commutanti sit indifferens, quia tunc non ex eo, quòd quærenti est utilis, potest commutans minus dare; nam sicut ementis commoditas non auget pretium; ita neque utilitas quærentis

commutationem habet rationem augendi pretium rei commutandæ, Mich. Sal. d. q. 3. art. vnico, sub num. 11. vers. sed hac occasione. fol. 540. & facit, quod de re vendenda scripsi ead. ampl. 10. sub num. 60. & 61. vbi videas.

Subrestringe secundo, vt non procedat, si cum moneta vilis metalli cōmutaret monetam pretiosi metalli, puta, purissimi auri, quod valet ad multa alia præter legalem valorem, quia si in hac commutatione exigeretur aliquid exiguum ultra valorem legalem pro illa moneta pretiosa ratione metalli, & prout res est, non esset damnandum etiam in priuato, per ea, quæ scripsi supra sub num. 94. & infra gl. 5. sub num. 117.

102 In secundo casu concludo affirmatiuè, quòd Princeps potest imponere pretium monetæ etiam passiuæ, idest, in secundo vsu, prout est merx; & moueor, quia Princeps omnia potest, & nemo auderet ei dicere, cur ita facis? vt in alio proposito dixi §. præcedenti, q. 7. par. 2. ampl. 19. num. 39. & certè potest, quando, quod agit, iustè agit, maxime si publicam respicit vtilitatem, † quia

103 Princeps, alijq; Reges dicuntur tutores publici status, Senec. de clemen. lib. 1. cap. 4. sed, imponendo pretium iustum monetæ, etiam vt merx est, iustè agit, & respicit publicam vtilitatem: ergo, imò ex quò monetata est merx, & res venalis, vt scribunt Doct. quos citavi §. præcedenti, q. 4. nu. 29. & 30. & sentiunt ij, quos citavi hic supra num. 94.

104 † & Princeps non solum potest rebus venalibus imponere pretium, delegando hanc curam alicui, vt in l. 1. §. vlt. cura. ff. de offic. præfect. vrb. cum ad Remp. eiusq; Gubernatores (pensatis necessitate mercis; copia, & inopia; eiusdem negotiationis labore, cura, industria, periculis; venditorum, atque emptorum frequentia) spectet, sua singulis mercibus pretia statuere, Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 2. art. 3. vers. ad hanc, col. 2. fol. 567. sed imò, si sit Princeps ecclesiasticus, qualis est

105 Pontifex respectu totius orbis, & quilibet Episcopus respectu suæ diocesis, debet hanc curam habere, per ea, quæ notant Canonistæ in cap. 1. de empt. & vendit. & scripsi §. præcedenti, q. 7. par. 1. num. 54. & quòd ad Principem spectaret imponere pretium cambijs, scripsi gl. seq. nu. 16. & nulla in hoc sumentia est disputatio; † quare iuxta hanc conclusionem constitutio Regis Hispaniarum in Regno Castellæ, taxādo pretia pecuniarum,

& præcipiendo, ne illa vllò titulo augeri possint, his vtitur verbis: *que no passen, ni se vendan, ni commuten per mas en manera alguna, so las penas, &c.* vt refert Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. q. 3. art. 1. num. 13. concl. 5. & vers. probatur. & lex Caroli V. præscripsit pretium moderatum, quo campsores suorum Regnorum cambirent, quamuis vsu recepta non fuerit, Nauar. in man. confess. cap. 17. num. 290. vers. & quòd attento. in fine.

106 Infero ex huius secundi casus conclusionem, Remp. & Principem posse interdicerè cābia minuta inter personas priuatas, prout lege cautum iamdudum esse in Hispania, hancq; legem, si recipiatur, obligare in conscientia sub reatu peccati mortalis, & eum, qui cambiret vnam monetam pro alia supra legalem æstimationem, fieri restitutioni obnoxium, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, in fine. concl. 3. fol. 608.

107 Extende primo hanc conclusionem, vt procedat etiam in scutis marcharum, qui emuntur, & venduntur in nundinis, seu pronundinis per viam cambiolorum, & recambiolorum, iuxta ea, quæ scripsimus §. præced. q. 5. sub num. 53. & seqq. & sæpè alijs, in locis, quia etsi illi scuti sint ficti, & imaginarij, & consequēter alicui Principi damnum non inferatur, cum eiusmodi moneta nullius sit Principis, tamen omnes Principes de iniusto pretio conqueri possunt, quia ex hoc pretio multi & in magna quantitate possunt lædi; imò, si circa aliarum rerum, & mercium pretium cura Principis esset voluntaria, circa pretium istorum scutorum deberet esse necessaria. Sed difficilis est res, quia in emporijs pretia mercium variantur ex copia, & inopia ipsarum mercium, quam copiam, & inopiam noscunt solum ij, qui in illis mercibus negotiantur: vnde cum Princeps à peritis informationem sumere debeat, res redit ad eosdem.

108 Subextende hanc extensionem, vt ad Principem ecclesiasticum, qui est summus Pontifex, spectet non solum imponere pretium cambijs, magis quàm pretium aliarum mercium, vt dixi, sed ad eundem spectet discernere de modis, & qualitatibus, quibus contrahi debeat cambium, præsertim nundinarium, tum quia iste contractus cambijs præ cæteris omnibus alijs impotentis debitoris substantiam crudeliter deuorat, conuertendo circulari superfœtatione interesse

in capitale, vt scripsi infra §. 6. gl. 1. num. 17. & §. 7. gl. 2. nu. 39. & 40. tum quia iste contractus cambij est valdè suspectus de mutuo vsurario, vt ostendi §. præcedenti, q. 7. par. 1. num. 21. & seqq. & alijs in locis; & mutui vsurarij prohibitio procedit à lege naturali, & diuina, & præsertim à lege CHRISTI, vt ostendi §. præced. q. 1. num. 401. & seqq. & ad Papam, vti Christi Vicarium, spectat cognoscere, an & quando contractus cambij contineat mutuum vsurarium, quia ad ipsum spectat interpretatio iuris diuini, vt in alio proposito scribit Albert. tractat. de agnosc. assert. cathol. q. 21. num. 37. & seqq. tom. 11. par. 2. fol. 72. & scripsi in meo tract. de iudic. caus. & c. lib. 2. cap. 9. num. 382. & seqq. Et licet Pij IV. & V. legem propterea huic contractui præscriperint, tamen, succrescente hominum malitia, hodie plura forsitan insurgunt dubia, quàm forsitan insurrexerint tunc temporis; vnde, si summus Pontifex clarius declararet, multum Christianorum conscientijs, animarumq; salutis consuleret, sic etiam ipsis negotiatoribus desiderantibus.

Extende secūdo, vt vbi Princeps pretium imposuerit, campfor illud in campsuarij damnum alterare non possit; quia etsi ipsi pecuniam, vti mercē, negotientur, tamen, & vti merx, est à Principe æstimata, vnde sicut frumentum, lege æstimatum, pluris vendi, vel permutari non potest, ita neque pecunia; & certè de hac extensione non potest dubitari, quia alias vana redderetur conclusio, quam posui supra num. 102. & seqq.

110 Restringe primo hanc extensionem, vt quandoque procedere non possit in pretio, imposito monetæ aureæ, nēpè quādo magna summa monetæ aureæ soluenda sit, & aureæ monetæ sit inopia, & eorum, quibus solui debet, multi interesse possit, si in alia solueretur moneta; cum moneta aurea sit minus grauis, minori includatur spatio, facilius transportetur, citius, & securius numeretur, vt scripsi etiam infra glos. 5. sub num. 117. eiusq; materia sit semper pretiosa, & ad plurima alia vltra commoditatem expendendi sit utilis, vt dixi §. præcedenti, q. 4. num. 28. & tandem propter eiusmodi commodiores, & vriliores vsus, ij, qui merces vendunt, sæpe cariori vendant pretio, si eis soluatur moneta argentea, aut ærea, quàm si aurea, vt dixi infra sub nu. 116. quia isto casu possumus, soluendo aureæ monetæ valorem,

recedere à pretio, per Principem monetæ aureæ imposito, per ea, quæ scripsi d. q. 4. nu. 28. † Nec in isto recessu considerandam cenfeo, vt Doct. malè videntur arbitrati, copiam, vel inopiam auri, sed solum interesse creditoris, vt dixi; nam copia, & inopia rerum, seu mercium æstimandarum est consideranda, quando illis mercibus pretium imponitur, sed postquàm est impositum, & creditori ex non traditione mercium, sibi debitarum, interesse emergit, non est consideranda copia, vel inopia mercium, sed interesse, quod verè emergit, & quamuis hoc interesse sit difforme, ita vt pluris intersit vnus, quàm alterius; nam maius patitur interesse, seu damnum, qui sub pœna, quàm qui sine pœna auream monetam soluere tenetur; tamen mercatores, & negotiatores monetæ aureæ emendæ pretium ad vnā uniformitatem reducunt pro omnibus, & illud sub hoc copiar, & inopiar auri prætextu augent, & minuunt ad eorum arbitrium, illudq; esse Plateæ pretium constituunt; vnde ij, qui plurimum, & in magna summa monetæ aureæ sunt creditores; conficta auri penuria, maiorem satis consequerentur solutionem, quàm eis sit debita: quod si ita esset, occurrendum esset huic fraudi.

Infero notabiliter ex hac restrictione, dum dixi, in moneta aurea emenda vix aliquando stari posse pretio, à Principe imposito, infero inquam, ex hoc, quòd si obligatus soluere in ciuitate Genuæ scutos 5000. auri in auro Italiæ, offerat soluere illorum valorem in scutis argenteis Genuensibus, quorum valorem Resp. equauerit valori scutorum auri in auro Italiæ, & hos scutos argenteos offerat, eò quia scutos aureos non habeat, neque qui eos sibi vendat, inueniat, & ad cogendum, vt quis eos sibi vendat, officium iudicis non competat; & creditor illos accipere recuset, cum scutus argenteus Genuensis in valore currenti expèdatur minori pretio, quàm scutus aureus; & consequenter creditor pateretur dānū; poterit iudex, super hac discordia aditus, debitorem alternatiuè condemnare ad soluendum scutos 5000. auri in auro Italiæ iuxta obligationem, vel illorum valorem currentem, quamuis sit maior illo, qui est à Republica impositus; & ita condemnando, non dicetur contrauenisse, seu iniuriam fecisse pretio, imposito à Republica; & dico amplius, quòd quoquo modo aliter ferret sententiam, seu debitorem

condemnaret, iniustitiam faceret, vt modo, adducendo casus condemnationis, ostendam.

112 Aut enim condemnat debitorem ad soluendum in alia specie monetæ, puta, in scutis argenteis, seu simpliciter ad soluendum valorem scutorum aureorum, à Principe in eius edicto taxatum; & isto casu iudex infert grauamen, facitq; iniustitiam creditori; quia omnes, attenda etiam consuetudine, concordant in hoc, quòd debitor in certa specie pecuniæ non possit soluere in alia specie, etiam æquiualehti, inuito creditore, qui in illa alia specie damnum pateretur, l. 99. paulus. & ibi Bar. num. 3. & alij communiter, ff. de solut. Abb. in cap. 18. quanto. sub num. 15. ibi, aut fuit simpliciter. de iureiur. Papien. in pract. in form. libell. in act. hypoth. in glos. relaxandum. num. 2. versus finem, fol. mihi 772. Mart. Lauden. tract. de monet. sub nu. 5. & num. 24. Curt. Sen. eod. tract. num. 23. Alber. Brun. tract. de mon. augm. in 2. præsuppos. sub num. 1. 2. 3. & seqq. & præsertim sub num. 5. ibi, & prædicta. tom. 12. fol. 203. & seqq. Couar. tract. de vet. collat. numism. cap. 7. §. vnico, num. 1. Bos. tract. crim. tit. de monet. num. 2. Neuiz. conf. 49. ex sententia. num. 14. ibi, facit quia. Gabr. in conclus. lib. 3. tit. de solut. conclus. 2. in fine, limit. 8. num. 28. Matth. Coler. tract. de process. execut. par. 1. cap. 10. sub num. 13. & quòd debitor non possit soluere in alia forma, quàm in pecunia mutuata, si intersit creditoris, scribit Thom. Parpal. in l. cum quid. nu. 26. vers. & in quantum. in fine, ff. si cert. pet. inter Repeten. tom. 2. fol. 52. & quòd debitor debeat speciem pecuniæ, quam debet, emere omni pretio, & creditor possit reperire amicum, habentem illam speciem pecuniæ, & dicere debitori; emas istam pecuniam, & satisfacias mihi, scribit Tefs. lun. tract. de monet. augm. sub num. 80. & 81. par. 1. Imò Rebuff. ad constit. Franc. tract. de litter. obligat. art. 5. gl. 1. sub nu. 5. vers. si verò. tom. 1. fol. 125. sentit, solutionem esse faciendam, in moneta promissa, non aliter considerato, an creditor sit, vel non sit damnum passurus, licet prius sub num. 3. vers. quid si debitor. consideret, an creditor sit damnum passurus, quod æquius videtur, & pro plena huius propositionis explicatione adde quæ scripsi infra gl. 5. num. 102. & seqq.

113 Sed creditor, cui soluerentur scuti argentei, pateretur damnum, tum quia scutus au-

reus secundum valorem currentem est pretiosior, vt dixi supra sub num. 111. vers. infero. & infra sub num. 116. vers. quia. tum quia eius valor latius se extendit, quàm valor scuti argentei, siquidem scutus aureus expenditur in tota Italia, & extra, non autem scutus argenteus: Ergo eiusmodi sententia, seu condemnatio grauaret creditorem, ideoque esset iniusta.

114 Aut condemnat debitorem ad soluendum præcisè scutos aureos, quos si nõ soluat, mandat eum carcerari; & isto casu grauatur, facitq; iniustitiam debitori dupliciter: primo, quia si eos non habeat, neque possit habere, condemnaret eum ad impossibile, ad quod nemo tenetur, l. 145. impossibilium. ff. de reg. iur. ideoque ad id condemnari non potest; hincq; est, quòd licet obligatus præcisè ad aliquod factum, à qua obligatione propterea se per præstationem interesse eximere non possit, vt puta, quia ita disponat lex, prout disponi lege regia Hispanica, scribit Io. Guter. tract. de contract. iurat. cap. 39. de obligatis ad factum, num. 5. vers. iure tamen. tom. 6. par. 2. fol. 85. vel quia sit obligatus cum iuramento, per ea, quæ sequitur idem Guter. eod. cap. 39. num. 6. cogatur præcisè adimplere, si id facere possit, vt loquitur idem Guter. sub d. nu. 5. in pluribus locis, & præsertim vers. quarto pro hac. & vers. quãuis. vtròbique in fine; tamen secus est, si non possit, quia tunc is, qui iurauit facere, & non facit, non est periurus, & excusatur, cap. 10. querelam. & ibi Gl. in verbo, necessitate. & cap. 17. breui. & ibi Gl. in verbo, difficultas. de iureiur. Corset. tract. de iuram. & c. q. 8. priuil. 15. sub num. 40. tom. 4. fol. 362. & Io. de Selu. tract. de iureiur. par. 3. q. 1. fallen. 21. num. 62. eod. tom. fol. 353. & adde quæ scripsi infra glos. 5. num. 130. Quòd autem in casu nostro debitor non habeat, est supponendum in facto, & quòd non possit habere, patet, quia qui sibi eos vendat, non inuenitur; nam vel vult eos emere pretio edicti; & tunc venditor non inuenitur propter modicitatem pretij, attento maiori valore currenti; vel vult eos emere pretio currenti, & minus inuenitur propter timorem poenæ, impositæ ab edicto: & hæc quoad primam iniustitiam: † Secundo grauatur, & facit iniustitiam, quia omnis iustitia, omnisq; æquitas postulat, vt debitor, qui non potest soluere in forma præcisa, in qua est obligatus, valeat, se liberare, soluendo in æquiualehti,

& suf.

& sufficere debet, quòd ipse alleget, sibi difficile esse, adimplere in forma præcisa, & ideo offerat satisfacere de eo, quod interest ob nõ adimplementum, & creditor, qui tunc aliud peteret, esset in malitia, Io. Guter. d. cap. 39. num. 5. versus finem, vers. quamuis. fol. 85. ergo iudex, qui condemnaret præcisè, dupliciter grauaret.

116 Non obstat, quòd hæc sententia videatur contra Principis legem, quæ quantumuis rigorosa est seruanda, vt secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 48. num. 11. & §. præcedenti, q. 1. num. 507. in fine.

Quia respondeo, quòd etsi illa Principis lex, seu edictum taxet pretium tam monetæ empturæ, quam monetæ emendæ, & creditor videretur scutos aureos, sibi debitos, quasi breui manu habuisse à debitore, & postea ei eosdem vendidisse, tamen illud edictum non comprehendit casum firmatæ illationis, quia cum lex debeat interpretari, ne alterum lædat, §. iuris præcepta. Instit. de iust. & iur. hoc edictum, mandando, seruari pretia, in eo taxata, supponit ex necessitate, quòd nemo ex illo pretio iniustè lædatur: sed in casu firmatæ illationis creditor valdè læderetur, quia si vellet, vt potest, emere, seu negotiari extra statum Genuensem, non expenderet scutum argenteum pro sol. 96. vt expenderet scutum aureum; imò etiam in dominio Genuensi non inueniret, qui ei tantam mercem daret pro scuto argenteo, quantam daret pro scuto aureo: ergo illud edictum non potest comprehendere hunc casum, quia læderet ius, & iustitiam creditoris, cogendo eum ad recipiendum solutionem in alia specie, in qua damnum pateretur, nisi eam reciperet in valore currenti: quare loquitur, & procedit illud edictum in cæteris casibus, in quibus non includitur hoc euidens damnum, & iniustitia; & nos omnem interpretationem adhibere debemus, vt lex iniquitatem, & iniustitiam non contineat: hincq; dicimus, quòd summum ius, summa iniuria, vt dixi §. præced. q. 1. num. 18.

117 Confirmatur hæc responsio, dum ad excludendum damnum creditoris dicimus, eum non teneri ad recipiendam monetam in valore, imposito à Principe, quia in similibus creditor non tenetur recipere à debitore monetam, de proximo reprobendam in aliqua parte, quia, si vellet ea moneta aliquid à mercatore emere, mercator, sciens imminere illius diminutionem, vel negabit

habere merces, quas petit, vel carius vendet, vt sequitur Neuz. cons. 49. ex ducali. sub num. 16.

118 Declara primo eandem illationem, dum dixi, quòd creditor scutorum aureorum non cogitur accipere scutos argenteos, vt procedat, etiam si debitum esset annuum, & debitor pro primo, secundo, & tertio anno soluisset scutos argenteos, quia adhuc creditor in sequentibus solutionibus posset debitorem cogere ad soluendum in scutis aureis, per ea, quæ de citato, qui nõ opposuerit de ferijs in alijs citationibus, secutus sum in meo tract. de iudic. caus. & c. lib. 2. cap. 5. num. 168. & de citato, qui semel passus est, se per rescriptum apostolicum trahi vltra duas dietas, secutus sum in meo tract. de appell. q. 17. limit. 6. memb. 7. sub nu. 86. vers. confirmatur.

119 Nec obstat, quòd in materia valoris monetæ talis præsumatur facta promissio, qualis ostenditur facta solutio, cum nulla possit esse melior declaratio, quam ea, quæ sumitur ex his, quæ postea re ipsa, & longo vsu seruata sunt, vt sequitur Rot. diuers. decis. 60. seu verius 760. cum alias. num. 1. & 2. in Rom. prætensi census, ven. 11. Decembris 1598. coram R. P. D. Orano inter impressas Lugduni anno 1612.

Quia respondeo, præsumptiones, & declarationes habere locum in re dubia, vt loquitur Rota, at nos supponimus casum clarissimum, in quo cessant præsumptiones; & ita videtur dixisse ead. Rot. diuers. decis. 688. cum fixtus. versus finem, sub num. 6. ibi, nec huic sententiæ. in Aretina pens. ven. 20. Februar. 1598. coram R. P. D. Litta inter eadem impressas Lugduni.

120 Declara secundo (dum dixi, debitorem esse cogendum ad soluendum præcisè in moneta debita, si illam possit habere, alioqui in æquiualentibus) vt si sit debitor scutorum auri in auro Italiæ, & velit soluere in duplis auri in auro Italiæ, dicatur soluere in scutis auri in auro, & creditor illam solutionem recusare non potest: & è conuerso, si deficientibus simplicibus scutis auri in auro, possit habere duplas, debet soluere duplas, & non admitti ad soluendum in alia specie monetæ æquiualentis; quare, si quis debeat scutos 500. auri in auro, & soluat, seu soluere possit duplas 250. dicetur solutio in specie præcisa, quia dupla in pondere, valore, bonitate intrinseca, & extrinseca sunt duo scuti auri in auro.

121 Declara tertio (dum dixi, debitorem admittere ad soluendum in moneta æquivalenti, quando non potest habere monetam, in qua est præcisè obligatus) vt dicatur eam non posse habere, quando eam habere non potest in loco, in quo debet eam soluere; quare si debeat in Ciuitate Aretij soluere duplas Hispanicas, & in Ciuitate Aretij non reperiuntur, sed reperiuntur Genuæ, vel in Hispanijs, dico, quòd quoad hunc casum dicemus, debitorem non posse eas soluere, quia non reperiuntur: paria enim sunt isto casu impossibilitas, vel difficultas; hancq; declarationem habes etiam de mente Rotæ diuers. d. decis. 688. cum fixtus. num. 5. vers. quouerò ad secundam partem. iuncto initio decisionis, in Aret. pens. ven. 20. Febr. anno 1598. coram R. P. D. Litta in impressis Lugduni anno 1612.

122 Declara quarto, vt in omnem casum, in quem debitor non possit soluere monetam, quam debet præcisè, & ideo est admittendus ad soluendum æquivalentem, vt tunc teneatur soluere æquivalentem, in qua minus discedat ab ea, quæ est in obligatione: vnde si debet soluere monetam auream vnus formæ, & ipse habeat solū in alia forma, debet potius eam soluere in alia forma, quam admittere ad soluendum in alia specie metalli; quòd si nullatenus habeat monetam auream, ideoq; sit admittendus ad soluendum in alia specie metalli, debet soluere æquivalentem potius in argentea, quam ærea; tum quia argentum est magis proximum auro, quam sit aliud metallum, & in habentibus aliquem symbolum facilius est transitus, tum quia contractus est lex inter partes, sed ea, quæ sunt contra legem, interpretamur, quominus à lege recedamus; ergo sic etiam interpretari debemus ea, quæ sunt contra contractum; & pro hac declaratione facit, quod ex Tels. Iun. retuli infra gl. 5. num. 127. ampliat. 2.

123 Restringe secundo eandem secundam extensionem positam supra num. 109. (dum dixi, quòd Princeps potest imponere pretium monetæ etiam passiuæ in secundo vsu cum prohibitione, ne quis illud pretium alteret) vt illa pretij impositio, & prohibitio non habeant locum in campfore cambij minuti, publica auctoritate, & sine salario deputato, quia is poterit aliquod exiguum, & licitum accipere à campsuario, qui cambium quærit; nam cum Princeps hoc officium illi

concesserit sine salario, non est verisimile, quòd voluerit prohibitionem ad illum extendere, vt non possit monetæ collybum accipere pro suæ indemnitate conseruatione; alias illud officiū esset illi damnosum, quod non est dicendum, quia esset lex irrationalis: secus si habeat à publico salarium, quia tunc nihil vltra posset accipere, etiam si pretium esset impositum pecuniæ solum in primo vsu, & non in secundo, testibus his, quos secutus sum supra num. 99. restrict. 1.

124 Declara hanc restrictionem, vt, supposito casu, in quo campfor possit pluri vendere (vt puta, quia pretium sit impositum monetæ in primo vsu tantum, vel quia, si sit impositum etiã in secundo, campfor sit à Principe, seu Republica deputatus sine salario, & sic suppositis terminis habilibus) illud plus, quod campfor pro commutatione, seu cambitione numismatum potest accipere, non debeat excedere id, quod publica auctoritate, seu lege, aut communi hominum æstimatione est taxatum, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 3. & debet esse tenue, ne fraudibus locus aperiat, vt dicunt Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 9. art. vnico, in 2. concl. col. 3. fol. 608. & Couar. tract. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 4. vers. tertia conclusio. in fine, fol. 704. tom. 1. & quòd illud augmentum debeat esse exiguum, scribit etiam sub num. 3. vers. secunda conclusio. & de aliquo exiguo loquitur etiam Nauar. in man. confess. cap. 17. sub num. 288. vers. in 19. & 20. & quòd nummularius, cum dat monetam auream, & recipit æream, exigat duos, aut tres nummos æreos, cum verò dat æream pecuniam, & recipit auream, accipiat sibi vnum, aut duos nummos æreos, sequitur idem Azor. d. cap. 4. q. 8. in fine.

125 Subdeclara hanc declarationem, vt in taxando lucro campforis pro cambio minuto debeat haberi non solum ratio impensarum in quærendis, parandis, & asseruandis pecunijs, iuxta ea, quæ, generaliter loquendo de campfore, retuli, & secutus sum S. præced. q. 7. par. 1. num. 42. in fine, 44. & 45. & in terminis de campfore cambij minuti scribit Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 3. sed etiam alicuius lucri; quare debet se nō solum conseruare indemnem ab impensis, & laboribus, sed vltius debet aliquid lucrari, Io. Azor. in loco supra proximè citato, quia quotquot aliquod exer-



exercitium faciunt, intendunt in eo aliquid lucrari; quod lucrum eis debetur, tum vt homines ad exercitia, quæ Reip. vtilia sunt inuitentur, tum vt aliquid pro suis futuris necessitatibus, pro consanguineis, & pro amicis acquirant.

126 Extende eadem declarationē, eiusdemq; subdeclarationem, loquentes in campfore cambij minuti, vt habeant locum in cæteris campforibus, & negotiatoribus cambiorum, quia etiam isti propter eandem rationem impensarum, laborum, & periculi possunt aliquid plus exigere, quàm valeat pecunia commutata, iuxta ea, quæ ex Archiepisc. Floren. Io. de Anan. Io. Bapt. Lup. Laur. de Rodolph. Io. à Capistr. & Nauar. secutus sum §. præced. q. 7. par. 1. num. 42. in fine, 44. 45. & q. 1. num. 424. & illud plus non solum debet correspondere, & æquipollere impensis, & laboribus campforis, sed etiam debet in aliquo exiguo excedere ratione lucri, quod etiā huic campfori est permittendum, vt dixi num. præced. & ita in specie firmat Io. Azor. d. cap. 4. q. 4. vers. secunda opinio. & quòd isti campfores possint propterea recipere 100. in vno loco, & facere campsuario solui in alio loco solum 95. si ita sit consuetudo generalis mercatorum, & non excedat nimis modum, scribunt Bal. Io. de Anan. & Petr. de Vbal. quos secutus sum d. q. 7. par. 1. num. 43.

127 QVAERO decimotertio, ad quid teneatur campfor, seu quisquis sit, qui fabricauerit, vel expenderit monetam falsam.

Respondeo, distinguendo aliquot casus, in quibus me breuiter expediam, quia non est materia huius tractatus.

Primus casus est: qua pœna puniatur, qui monetam raserit, tinxerit, finxerit, adulterinam conflauerit, falsamvè fabricauerit: & isto casu, & loquendo de iure communi, dico, pœnas esse varias; nam l. 8. quicumque. & l. seq. ff. ad l. corn. de fals. imponunt pœnam falsi, & si liber est, mandant eum damnari ad bestias; si verò seruus, affici vltimo supplicio; quod aduertit etiam Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 10. sed l. 1. C. de fals. mon. imponit pœnam capitis, & l. 2. C. eod. declarando, esse crimen læsæ maiestatis, imponit pœnam ignis cum confiscatione bonorum, aliasq; pœnas; verum an hæc l. C. corrigant citatas ll. ff. & quomodo concordentur, vide Gl. & clarius Salyc. in d. l. 2. sub num. 2. oppos. 2.

C. de fals. mon. & quòd falsificans Regis, vel Principis monetam, incidat in crimen læsæ maiestatis, sequitur Gig. tractat. de crim. læs. maiest. rubr. qualiter & à quib. crim. læs. maiest. committ. q. 62. num. 1. tom. 11. par. 1. fol. 42. Loquendo autem de iure municipali diuersarum Ciuitatum, dico, pœnas esse magis distinctas, & claras, vt videre est in statut. Urbis lib. 2. cap. 44. & 45. & in statut. crim. Genuæ lib. 2. cap. 31. & in statut. Lucæ lib. 4. cap. 86. & 87. quæ statuta volui adduxisse, quia sunt quasi interpretatiua iuris communis, & ideo cum eorum dispositione multum concordat consuetudo, & praxis, quam iudices maleficiorum in hoc crimine seruant.

128 Et aduerte, quòd falsam monetam dicitur fabricare etiam qui fabricat monetam probam, & iusti ponderis, si is cudendi monetam ius non habeat, ideoq; per legem punitur, Io. Ferrar. in vsib. feud. lib. 5. cap. 7. vers. monetam. tom. 10. par. 2. fol. 116. col. 1. in vltimis verbis. & col. 2.

129 Hæc pœna læsæ maiestatis non habet locum contra non subditum, Bal. in d. l. 2. in fine, C. de fals. mon.

130 Sed tamen à quouis, & vbiuis locorum hoc delictum committatur, semper est grauissimum, & acrem de eo Principes sumunt vltionem; quare qui hoc delictum committit, is in primis non est tutus in dominio sui Principis, si ibi illud commiserit, quia incidit in crimen læsæ maiestatis, vt dixi: secundo non est tutus, si illud in alterius dominio commiserit, quia delinquens sortitur forum iudicis, in cuius territorio delinquit, quamuis nulla ratione sit eius subditus, per ea, quæ secutus sum in meo tractat. de iudic. caus. & c. lib. 1. cap. 40. sub num. 6. & seqq.

131 Imò quia fabricans monetam falsam, dicitur committere plura furta, dicitur committere furtum non solum in loco, vbi monetam illam cudit, sed etiam in dominio Principis, cuius monetam falsificat, quia facile est, vt illam libentius, quàm ceteri, accipiant, qui illius Principis sunt subditi, & sic illud furtum se extendit etiam ad dominium illius Principis, siquidem delinquens dicitur delinquere non solum in loco, vbi committit delictum, sed etiam in loco, ad quem extendit effectum delicti, & non solum vbi initiat, sed etiam vbi perficit, ad notata in varijs questionibus per Bar. in l. 3. libellorum. num. 7. ff. de accus. & copiosè per Abb. in cap. vlt. num. 25.

num. 25. & seqq. de for. compet. & Clar. recept. sent. §. fin. q. 38. vers. vidi. & vers. seqq. quare Dominos Venetos multasse, & maximis taleis supposuisse eos, qui eorum monetam falsò fabricabant extra eorum dominium, & in eorum dominium introducebant, refert Tefs. Iun. tract. de augmen. mon. par. 1. sub num. 13.

132 Secundus casus est: an & qua pœna puniantur receptatores, participes, & non prohibentes, si prohibere valeant: & in hoc constituo regulam, vt puniantur eadem pœna, qua auctores ipsi puniuntur, vt in eo, qui potuit prohibere, & non prohibuit, dicit text. in l. 9. lege cornelia. ff. ad l. corn. de fals.

133 Tertius casus est: an expendens, seu retinens monetam falsam, & non incidens eam, sit puniendus, & qua pœna: & isto casu dico, mitiori pœna puniri, quàm si fabricasset; quare statutum Urbis lib. 2. cap. 45. & stat. Genuæ lib. 2. cap. 31. §. adulterinæ. considerata varia monetæ expensæ quantitate, varias minores imponunt pœnas, de quibus hic nobis agendum non est: Tria tamen circa hæc stautata obiter aduertam: Primum, quòd cum hæc statuta non prouideant in casu, quo expenditur minor summa, quàm expressa in ipsis statutis, casus iste remanebit sub dispositione iuris communis, & consequenter, si constabit plenè, vel plusquam semiplenè, illam summam fuisse scienter expensam, erit adhuc puniendus: Secundum, quòd licet de iure communi inter multiplices considerationes, adhibendas ad coniecturandum dolum, seu scientiam expendentis, sit etiam considerata quantitas monetæ expensæ, hæc q; quantitas cuius numeri esse debeat relinquatur arbitrio iudicis, qui in hoc consideret qualitatem monetæ, an

eius falsitas facilè, vel difficilè posset cognosci, & qualitatem personæ, an esset sagax, vel grossolanus; tamen statutum Genuæ, reiectis istis considerationibus, determinat cuius numeri sit quantitas, punienda: Tertium, quòd etsi statuta prædicta puniant expendentem certas summas monetæ falsæ, tamen si daremus casum, vt probaretur, vel præsumeretur expendentis ignorantia, non posset puniri; imò statuta Urbis loquuntur apertè contra expendentem scienter; & ita censeo, posse interpretari statutum Genuæ; quamuis dici posset, quòd statutum Genuæ vel præsumit præsumptione iuris, & de iure scientiam, vel punit negligentiam, si pœna sit pecuniaria, & tolerabilis.

134 Quartus casus est: an campfor, seu alius, qui dederit monetam reprobam, teneatur restituere, seu supplere iustum pretium illi, cui dedit: & isto casu dico resolutè, quòd sic, etiam si ipse illam monetam ab alio habuisset, Nauar. in man. confes. cap. 17. sub num. 167. & sub num. 8. vers. secundo facit, & nemine citato, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 4. q. 10. in fine, vers. quid si titius. & etiam si ignoranter dedisset, tum quia ignorantia sua non debet nocere alteri, tum quia damnum, cuius causa est facienda restitutio, ita est damnum, si sit illatum scienter, sicut si sit illatum ignoranter: differentia tamen inter dantem scienter, & ignoranter remanet in hoc, quòd dans scienter, quamuis sit impotens ad restituendum, tamen cum dedit, peccauit mortaliter, cuius pœnitentiam agere debet: sed dans ignoranter, non peccauit, ideoq; si non potest restituere, est absolutus tam à restitutione, quàm à peccato; & hac absolute absoluius hanc tertiam glossam.

## §. 2. Glos. 4.

*A pagamenti di fieri prossima de Santi.*

**S V M M A R I V M.**

*Tempus exprimitur tam ex anno, &c. quàm ex alijs qualitatibus, sed debet clarè exprimi, num. 1.*

*Solutio nundinaria quid sit, num. 2.*

*Nundina nummorum quid significant, quoties fiant in anno, & ubi, num. 3. 4. & 7. Quae fiant auctoritate, num. 5. & 7. Qua de causa fuerint instituta, num. 6. Quo ordine, num. 7. & seqq. Et de earum utilitate, ibidem.*

*Solutiones, quae fiunt in nundinis, fiunt chirographis, & raro actuali pecunia, num. 6.*

*Genuenses faciunt nundinas pecuniarum in Ciuitate Placentiae, num. 7. Habentque magistratum, qui illic praest cambiorum negotiationi, & qui mercatores interueniant, & negotiari possint*

possint in predictis nundinis, num. 8. Quanto tempore duret iurisdictione huius magistratus, & circa qua verjetur, num. 9. & seqq. Ab eorum sententia ad quem appelletur. sub num. 8. Mercatorum votum in nundinis quo ordine proferatur, sub num. 8. Scartafacium est liber mercatorum, & quid in eo scribatur, num. 10. Scripta in eo non inducunt obligationem, imò denotant imperfectiōnem, num. 12. Acceptationes litterarum cambij in nundinis, quando, & quomodo fiant, num. 10. & 11. Bilancium in foro nundinarum quid sit, seu quomodo fiat, num. 11. Pretium cambij pro reditu ex nundinis imponunt mercatores, num. 13. Quid obseruent, vt iustum imponant, num. 14. & seqq. Sed esset imponendum à Principe, &c. præsertim Ecclesiastico, num. 16. Nundinarum tempore, qua negotia in eis expediuntur, num. 9. & seqq. & num. 17.

**I** VAERO primo, quid significet illa verba, à pagamenti di fiera? Respondeo, illa verba exprimunt tempus; potest enim tempus exprimi non solum per annum, mensē, diem, & horam, iuxta ea, quæ scripsi supra gl. 1. num. 2. & seqq. sed etiam per alias qualitates, vt per bellum, per pacem, & similia, vt in proem. In tit. Verum illud etiam tempus, per istas qualitates expressum, subiacet expressioni per annum, vt dixi ead. gl. 1. sub num. 4. quare illa verba, à pagamenti di fiera, signant tempus solutionum: sed quia tempus solutionum, sic simpliciter prolatum, esset nimis generale, tū quia hoc tempus solutionū est quadruplex, cum quatuor fiant in anno nundinæ, tum quia eadem nundinæ fiunt quolibet anno, vt dixi infra num. 3. ideo adduntur illa verba sequentia, *prossima de Santi*. & prius in eisdem litteris exprimitur annus, dies, & mensis, vt habes supra in glos. 1. adeo quòd designatur tempus omnino certum, in quo mandataris soluere debeat.

**2** QVAERO secundo, quæ sint istæ solutiones nundinariæ, quibus diximus designari tempus certum? Vt huic quæsito sine confusione satisficiam; est in primis videndum, quid sit solu-

tio simplex, & de hoc remitto me ad ea, quæ latè scripsi gl. seq. num. 17. 19. & seqq. & illis suppositis, dico, solutionem nundinariam, breuiter agendo, esse illam, quæ est destinata in foro nundinarum, & ideo fit in illis nundinis, idest, vulgariter loquendo, in *fiera*, vigore litterarum cambiorum, de quibus nundinis in seq. q. sum acturus.

Quotuplex sit solutio vide in gl. seq. num. 19. & seqq.

**3** QVAERO tertio ulterius, quid sit hoc, quod vulgo dicimus, *fiera*?

Respondeo, feria sunt nundinæ, quæ significant locum, vbi fiunt ipsæ nundinæ, & mercimonialis conuentus publicus ad merces emendas, vel vendendas, vnde nundino nundinas, idem est, quod mercor mercaris, Calder. in cap. nauiganti. num. 3. de vsur. & hæ feriæ dicuntur cambiorum, quia in eis campantur nummi, easvè diuersæ nationes, seu mercatores laudabiliter, & non contra bonos mores diuersis in locis instituunt; nempè hodie Placentiæ in Italia, Lugduni in Gallia, Metinæ in Hispanijs, & Francofurti in Germania; sed diuersis temporibus: Placentiæ enim quater celebrantur in anno, initio ferè cuiuslibet trimestris: Primum trimestre nundinarum cōstituamus illud Apparitionis, quod ita dicitur ab apparitione stellæ, quæ apparuit Magis, licet Rot. Genuen. decif. 23. antonius carcassola. initio, vocet feriam apparitionis trium Regum, cuius apparitionis festum vocamus Epiphaniam, quæ est die sexta Ianuarij, sed tamen hoc trimestre, seu inquam istæ nundinæ non incipiunt in dicto festo apparitionis, sed incipiunt paulò ante sacrum diem Purificationis, quæ est die secunda Februarij; & placuit mercatoribus istam feriam vocare feriam apparitionis, quamuis magis distet ab apparitione, quàm ab alio festo, vel quia forsan initio hæc feria celebrabatur paulò post Epiphaniam, vel quia apparitio est magnum festum, cum tunc apparuerit Dominus; & cum isto ordine loquuntur capitula feriarum Placentiæ num. 1. condita à Genuensibus, & impressa Genuæ anno 1612. incipit ergo hoc primum trimestre die prima, seu initio mensis Februarij: Secundum trimestre dicitur Paschatis, quod est post dies Paschatis, & sic initio, seu die prima Maij: Tertium initio Augusti; Quartum initio Nouembris, quod dicimus Sanctorum, quia est festum Sanctorum, vt habetur

in dictis capitulis num. 1. & de eisdem quatuor nundinis eodem ordine loquuntur Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. initio, & habes infra §. 9. num. 37. & de istis nundinis loquitur Fabian. tractat. de camb. par. 2. cap. 2. sub nu. 51. tom. 6. par. 1. fol. 416. & singulæ nundinæ durant octo dies; sed Lugduni primæ nundinæ inchoantur die octaua post Pentecostes, secundæ secundo nonas Augusti, tertiæ tertio nonas Nouembris, quartæ idibus Ianuarij, & singulæ durant per quindecim dies vtilis, si credimus Io. Bapt. Lupo in cap. nauiganti. §. 2. num. 18 de vsur. inter tract. diuersi. tom. 7. fol. 138. & Romoal. Col. tract. de camb. cap. 8. vbi ait, in Italia & extra celebrari nundinas quater in anno, & primas celebrari post diem octauam Resurrectionis: secundas initio Augusti: tertijs post diem octauam omnium Sanctorum: quartas post octauam Epiphaniæ; Et quòd in Hispania sint institutæ similiter quatuor nundinæ in anno, quibus sub eodem numero aliæ respondeant in Flandria, & quibus mensibus celebrentur, & respondeant nundinæ in Flandria, scribit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 12. art. 2. vers. peruentum. fol. 616. de eisdem nundinis vide Nauar. in man. confess. cap. 17. de vsura circa cambia, num. 296. vbi scribit in principibus emporijs Hispaniæ, Galliæ, & Belgij haberi tres, vel quatuor nundinas: vide etiam Mich. Sal. ad D. Thom. 2. 2. post q. 78. in disput. de camb. in diuersis locis, & præsertim q. 4. art. 2. controuer. 6. sub nu. 1. vers. in hispania. & vers. seqq. tom. 2. fol. 569. & quòd aliqui graues auctores dicant, in Hispania celebrari ter in anno nundinas, scribit Romoald. Coli in præcitato cap. 8. & quòd Francofurti binæ quotannis agantur nundinæ: alteræ circa Pascha, & alteræ in mense Septembris, in quibus fiant etiam solutiones cambiorum, scribit Leonar. Les. de iust. & iur. lib. 2. cap. 23. num. 53. & in vnoquoque istorum locorum cambitur, & recambitur pro alio ipsorum locorum, & fuerunt distinctæ inter se hoc spatio trium mensium, vt detur commodum tempus solutionibus faciendis, vt scribit Sot. in loco supra proximè citato, quod tempus, seu dilationem ipsi mercatores vocant (*recapitar le lettere*).

4 Olim tamè istæ nundinæ originem habuerunt non in scutis sculptis, sed in marchis ad pondus, & deinde, scutis sculptis, coeperunt

fieri in Ciuitate Gebbenensi, seu, vt alij dicunt, in Ciuitate, quæ vulgo dicitur, *Ciambrì*, quæ est in Sabaudia; inde translata fuerunt ad Lugdunum in Gallia, & inde ad Bezenzonum in Burgundia, & hodie, quæ fiebant Bezenzoni, fiunt Placentiæ in Italia, & quæ fiebant Lugduni in Gallia, ibidem renouatae sunt, vt multa ex his retuli in glos. præced. num. 30. & infra gl. 10. num. 10. non tamen fiunt amplius Bezenzoni.

5 QVAERO quarto, qua auctoritate, qua de causa, quovè ordine fiant istæ nundinæ?

Respondeo, satisfaciendo huic multiplici quæsito multiplicibus conclusionibus.

Primo concludo quoad primam quæsiti partem, institutionem nundinarum esse de genere permissorum, & ideo Pij V. constitutio non prohibet earum creationem, seruata tamen iustitia, vt ex congregationis Sanctiss. D. N. responso, retuli infra §. 6. gl. unica, sub num. 43. vers. secundæ.

6 Secundo concludo quoad secundam partem quæsiti, quòd nundinarum origo, seu causa fuit, tum quia proceres mercatores, qui amplo ære negotiantur, maximè postquam patefactæ sunt Indiæ, quæ Hispaniam inaurarunt, argentoq; obruerunt, vt scribit Nauar. in cap. nauiganti. sub num. 51. vers. vigesimo dicimus. de vsur. non poterant pecuniam in arca habere præsentem, & fuisset onus, & impedimentum maximum, eam ad tam diuersa, distantiaq; loca euehere, ideoq; omnia chirographis coeperunt transigere, & horum chirographorum solutiones non poterant commodè alibi fieri, quàm in nundinis, vt innuit Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 11. art. 1. vers. postquam. col. 1. in fine, & 2. fol. 612. tum quia, auctis mirum in modum mercaturijs, & negotijs, necessitas has docuit nundinas, & experientia earum utilitatem patefecit, per ea, quæ scripsi §. præced. q. 6. sub num. 8. vers. prima.

Comprobatur primo hæc utilitas, quæ procedit à nundinis, quia campores, qui olim erant in aliquibus ciuitatibus, non poterant tantæ negotiorum moli satisfacere, neque negotiatores, mercatoresvè, qui inuicem cambirent, extabant, & quando extitissent, vnus occasionem cambiendi, quam habuisset alius, facilè ignorasset, & quando etiam sciuisset, occasio sæpè erat inæqualis; quare sicut ob rerum permutandarum inæqualitatem, cum non semper, nec facile oc-

curreret, vt cum tu haberēs, quod ego desiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, introducta est moneta, vt dicit Iureconf. in l. 1. ff. de contrah. empt. ita etiam ob eandem inæqualitatem institutæ vtiliter sunt nundinæ nummorum.

Comprobatur secundo, quia nisi extarent nūdinæ, ex quibus cambiores per viam cambiorum, & recambiorum transfueherent nummos ad ciuitates, & loca etiam remotissima, vtique cambiorum interesse esset grauius, quia pro actuali transportatione grauiores requirerentur impensæ, & labores, & maiora occurrerent pericula, vt dixi §. præcedenti q. 1. num. 423. & q. 7. par. 1. num. 74.

Comprobatur tertio, quia sicut aliarum rerum, victui necessariorum, institutæ vtiliter sunt pluribus in locis nundinæ, ita etiam expediens fuit, vt ordinarentur nummorum emporia, in quibus nummi non secus ac aliæ merces emi, & vendi possent per viam cambij, vt quisque suis posset prouidere indigentijs, & ibidem fiant solutiones, & dati, & accepti reddantur rationes, Io. Azor. de instit. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. initio, col. 879.

7 Tertio concludo quoad tertiam partem quæsitam de ordine istarum nundinarum, quod sunt Placentiæ cum consensu Serenif. Ducis illius ciuitatis, & fiūt à natione Genuensif, quæ habet copiam nummorum, & hominum pro eiusmodi negotiatione satis idoneorum; & postquam destitutæ fuerunt Benzenoni, cœperunt fieri Placentiæ, quia est locus satis commodus omnibus negotiatoribus: & quia fiunt à natione Genuensif, idcirco Resp. Genuensif condit leges, & ordines pertinentes ad hanc negotiationem, quæ leges, & ordines ligant omnes, qui in illis negotiantur nundinis, quamuis alias Reip. Genuensif nullatenus subijciantur.

8 Vnde Resp. Genuensif habet magistratum, qui præest huic negotiationi, & residet in Ciuitate Placentiæ tempore nundinarum, & constat hic magistratus ex Consule, qui est tanquam caput, & ex duobus Consiliarijs, quorum trium duo faciunt sententiam, à qua potest appellari ad Serenif. Senatam Genuensifem, vt habetur in capitulis feriarum Genuensifum nu. 18. impressis Genuæ anno 1612. habet etiam iste magistratus suum Cancellarium, seu notarium: & vltterius in cambiorum negotijs, quæ respiciūt

vniuersitatem, & publicum interesse cambiorum, interueniunt, & habent votum omnes mercatores, qui sunt admissi à contractatione, & vbi tractatur de negotio Mediolani, Mediolanenses habent primum votum, vbi de negotio Florentiæ, Florentini, & sic de alijs, Alex. Rauden. in exposit. sup. banc. S. Ambr. num. 123. Et iste mercatorum numerus non est determinatus, & ideo quilibet potest esse, dummodo, præstita fideiussione, sit admissus, sed cum hac distinctione: aut enim vult admitti, vt possit interuenire in imponendis pretijs cambiorum, & iste debet præstare fideiussionem scutorū 4000. in Camera Illustrissimorum Procuratorum Camera Genuensif, aut vult admitti solum ad negotiandum in dictis nundinis, dando, vt aiunt, bilancium, & iste debet præstare fideiussionem scutorum 2000. vt habetur in dictis capitulis num. 6. & quæ requirantur pro hac admissione ad negotiandum vltra dictam fideiussionem, habetur in eisdem capitulis eod. num. 6. & licet ex dispositione dictorum capitulorum num. 18. Consul, & vnus Consiliarius deberent esse Genuenses, & alius Consiliarius esset transmittendus à congregatione mercatorum Mediolani, tamen hodie, vt audio, Consul, & vterque Consiliarius, & Notarius sunt Genuenses: cæteri autem mercatores possunt esse cuiusuis loci, & accedunt voluntarij, non inuiti; & hi mercatores admissi à contractatione, qui interueniunt pretij cambiorum impositioni, debent habere domum, quæ dicitur, *de conto*; quia isti imponunt *il conto*, idest, pretium, vt dixi supra, & infra nu. 13. & ad has nundinas accedunt multi capserij pecuniosi, qui dant cābio mercatoribus, & accedunt etiam multi Bancherij depositarij, qui deposito habent pecunias mercatorum, & capseriorum, vt easdem de eorumdem ordine, & mandato soluant, vt retuli §. præcedenti, q. 7. par. 2. ampl. 3. num. 10.

9 Iurisdicctio huius magistratus durat tempore nundinarum, quod vt dixi supra sub num. 3. est octo dierum, & ex causa (vrgenti tamen) potest illud prorogari, concurrentibus tribus ex quatuor partibus mercatorum contractationis, & cum auctoritate Serenissimi Senatus Genuensif, vt habetur in dictis capitulis num. 1. Hoc tempore coram isto magistratu in prima, & secunda die negotiorum expediuntur ea, quæ concernunt vniuersitatem, & publicum interesse

- 10 negotiationis cambiorum; † nam in prima die coram Consule fiunt inter omnes mercatores acceptationes in proprijs scartafaccijs, & ab hora, qua incipiunt fieri, debet quilibet mercator infra horas 24. currentes acceptare, vel non acceptare, ad effectum, vt creditor possit, elapsis dictis 24. horis, exigere, vel facere protestum; & istæ acceptationes fiunt in proprijs scartafaccijs, tam creditoris, quàm debitoris, lineante vtroque per transuersum partitam, quam creditor acceptat, vt habetur in eisdem capitulis feriarum num. 4. vbi qualis liber debeat esse istud scartafaccium, & num. 5. vbi de prædicto
- 11 tempore præfixo acceptationibus: † ex his acceptationibus procedunt hinc inde multæ solutiones satisfactoriæ, quia per istas mutuas acceptationes intelligitur facta solutio, & compensatio inter eos, vt habetur in eisdem capitulis num. 36. Ex eisdem acceptationibus oritur bilancium, vt aiunt, *di fieri*; nam, factis hinc inde acceptationibus, quilibet mercator ex admissis à contractione debet diligenter inspicere suum scartafaccium, in quo à manu sinistra sunt notata nomina debitorum, & à manu dextra nomina creditorum, & vbi reperiat se debitorem, debet inuenire modum, quo satisfaciat suis creditoribus intra octo dies, quia intra eosdem octo dies debet quilibet mercator dare in manibus Consulis bilancium adæquatum; etenim, si remaneret debitor, & sic bilancium non foret adæquatum, posset tunc creditor illum adstringere ad faciendum sibi litteras cambij; & casu, quo debitor non posset satisfacere de litteris cambij, tunc contra eum seruaretur dispositio dictorum capitulorum
- 12 feriarum num. 13. vbi videas: † Cæterum hic liber, quem vocant, scartafaccium, quovè ostenditur bilancium, continet memorialia negotiorum agendorum in illis nundinis, vt dicitur in dictis capit. sub num. 4. & ideo scriptura illius non inducit aliquam obligationem, neque nouationem, nec promissionem, cum ea, quæ in eo sunt notata, possint variari, & contrascribi, & denotent rem imperfectam, Rot. Genuen. decis. 1. num. 17. 19. & 20. quam sequitur Menoch. conf. 296. cum
- 13 interrogatus. num. 28. † quare in istis nundinis fiunt pecuniarum solutiones, & traditiones, ita vt alij debita soluant, alij verò debita contrahant; redduntur itidem dati, & accepti rationes, & denuo pecuniæ creduntur, & accipiuntur, & totum huiusmodi

negotium sine vllis ferè pecunijs conficitur, datis, & acceptis solum chirographis, aut symgraphis, vt scribit Io. Azor. de institut. moral. par. 3. lib. 10. tit. de camb. cap. 8. initio, & ante eum, sed breuius Sot. de iust. & iur. lib. 6. q. 11. art. 1. col. 2. & adde quæ scripsi gl. seq. sub num. 55. secunda verò die Consul, & mercatores imponunt pretium cambij, (quod vocant, *il prezzo de ritorno di fieri*) pro omnibus ciuitatibus, & locis, in quibus exercetur negotiatio cambiorum nundinariorum, nempe pro Roma, pro Neapoli, & alijs locis, à me numeratis sup. gl. 2. sub num. 7. & Alex. Raud. in exposit. super banc. S. Ambr. num. 121. & 122. & quòd ipsimet mercatores, & nummularij suo arbitratu cambiorum pretia constituent, scribit Ioan. Azor. d. cap. 8. vers. accedit quod. hæcque impositio, & taxatio pretij est necessaria non solum, ne debitores cambiorum, pro quibus mercatores soluunt sibi ipsis, & postea trahunt, conquererentur de ipsis mercatoribus, quòd magno pretio traherent, vt dicit Bonin. tract. de camb. cap. 7. vers. che li mercanti. seu ne ex mercatorum agentibus, qui solutiones pro ipsis mercatoribus recipiunt, vnus postea remitteret pro maiori pretio, & alius pro minori ad eandem ciuitatem, & proinde mercator, cui remitteretur pro minori pretio, conquereretur de suo agente, quòd non traheret diligenter suum negotium, vt aduertit Romoal. Coli tractat. de camb. cap. 16. vers. dalle città. Sed etiam, quia principaliter interest Reip. quòd pretia sint iusta, & taxata: & præsumitur iusta pretij impositio, quia etsi pretium imponatur à mercatoribus, qui sunt interessati, tamen cum eorum interesse sit inuicem contrarium, concordantur in medio, quod est iustum, vt secutus sum §. præcedenti, q. 7. par. 1. num. 93. sed qua nominatim die fieri debeant istæ acceptationes, & impositio pretij in quolibet foro, habetur in dictis capitulis sub num. 1. & quot votis, quavè forma intelligatur impositum pretium, disponitur in eisdem capitulis num. 8. & qua poena, & à quibus condemnari possint ij mercatores, qui calumniosè votarent, habetur num. 23.

14 † Horum mercatorum munus in taxatione, seu impositione pretij versatur principaliter circa duo: Primum circa copiam, & inopiam pecuniæ, quia, si adest copia pecuniæ, & inopia accipientium cambio, pretium marcharum erit altum, idest, magnum; secus si ad-

fit

fit inopia pecuniæ, & copia marcharum, iuxta ea, quæ secutus sum §. præcedenti, q. 7. par. 1. nu. 48. & hæc regula feruatur in quauis re vendibili, & emibili, vt admonet Couar. & Nauar. quos secutus sum §. præced. q. 5. sub num. 65. facit, quod scripsi eod. §. præced. q. 7. par. 2. ampl. 6. sub nu. 8. Ex quibus autem casibus, & accidentibus possit oriri copia, & inopia pecuniæ, vide d. q. 7. par. 1. sub num. 76. versus finem, confirm. 2. † Secundum versatur circa distantiam, & viciniam locorum, pro quibus fiunt cambia, seu permutationes pecuniarum, quia distantia auget pretium in pecunia, & vicinitas minuet; nam quò longius distat pecunia, eò minoris valet propter pericula itineris, & propter impensas, & labores, qui in eiusmodi distantia fiunt commutatione, per ea, quæ scripsi §. præced. q. 1. num. 422. & seqq. & ab his non discrepant, quæ latius scribit Romoal. Col. d. cap. 16. vers. dalle città. vbi, loquendb de pretio, imponendo ex ciuitatibus pro nundinis, ait, quòd mercatores bonæ conscientie faciunt congregationem; quam vocant, consulatam mercatorum, & in illa congregatione ex interesse, seu lucro, quòd processit ex proximis præteritis nundinis (quòd lucrum, inquit, cognoscunt ex reditu litterarum cambiorum, ex relatione amicorum, proxenetarum, & aliorum redeuntium ex nundinis) & ex pretio, pro quo aliqui dedissent cambio pro proximis sequentibus nundinis; & ex his, & alijs obseruationibus cognoscunt copiam, & inopiam pecuniarum; & habita ratione copie, & inopie pecuniarum, imponunt pretium ex ciuitatibus ad nundinas; & nihilominus, inquit, si tractu temporis crescat, aut decrescat copia, seu inopia pecuniarum, aut numerus accipientium, seu dantium cambio, negotiatores ipsi augent, & minuunt pretium impositum; & loquendo de pretio imponendo ex nundinis pro ciuitatibus (quòd pretium dicitur, *de ritorno*) inquit, quòd mercatores, qui accedunt ad nundinas, perscrutantur, quænam in illis nundinis fuerit copia, vel inopia pecuniarum, & à proxenetis, alijsq; qui ex locis accedunt ad nundinas, perscrutantur etiam quæ copia, vel inopia,

pecuniarum sit in illis locis, ad quæ pecuniæ remitti, trahivè debent, ijsq; diligenter consideratis, pretium pro qualibet ciuitate imponunt, vt enarrat Romoal. in loco supra proxime citato. † Et licet huius pretij impositio spectaret ad Principes, siue eius Magistratus, qui tamen priusquam illud imponerent, & taxarent, se informarent a peritis, vt dicit Romoal. Col. d. cap. 16. initio, & magis spectaret ad Principem, seu iudicem ecclesiasticum, per ea, quæ scripsi §. præcedenti, quæst. 7. par. 1. num. 54. & glof. præcedenti sub num. 104. 107. & 108. tamen cum res rediret ad peritos, vt dixi d. nu. 107. in fine, Ecclesiasticis annuentibus, imponitur, vt dixi, à mercatoribus; † Cæteris diebus, durante toto tempore feriarum, possunt multa alia inter ipsos mercatores, creditores, & debitores confici: nam, vt dixi in gl. seq. num. 205. illat. 2. potest creditor per proclama perquirere suum debitorem, & quemcumque alium, qui pro eo vellet soluere, & nemine solvente, potest protestari litteras sub forma, de qua infra §. 7. gl. 2. sub num. 16. & tunc dicentur litteræ redire cum protestatione, quarum ex tunc poterit contra suum debitorem celerem executionem obtinere coram Iudice ordinario, vt scripsi infra §. 7. gl. 2. num. 3. & seqq. Potest etiam contra debitor in nundinis perquirere creditorem, seu alium, qui pro eo habeat sufficiens mādaturum ad recipiendam solutionem, & non reperto, poterit protestari, & facta ista protestatione, nullum aliud potest curre interesse, neque tenetur vltius accedere ad nundinas, prout declaravi gl. seq. nu. 204. Item possunt fieri aliæ protestationes, ne aliquis soluat litteras talis supra protestum, vt scripsi eadem glof. seq. q. 12. num. 390. declar. 4. Possunt aliquando reuocari mandata; fiunt cambia, & alia similia: & demum, ne super iurisdictione istius magistratus, & eorum, quæ coram eo possunt tractari, & fieri, longiorem trahamus moram, vide capitula feriarum Genuensium, in quibus habes hæc eadem, & alia plura; vide etiam nonnulla pauca apud Bonins. tract. de camb. cap. 5. vers. in vltimo, fol. 13.